12

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

IOHANNES RABENSTEINENSIS

# DISPUTACIO

EDIDIT

BOHUMIL RYBA

MCMXLII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

IOHANNES RABENSTEINENSIS

# DISPUTACIO

EDIDIT

BOHUMIL RYBA

MCMXLII K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

Jq kvt
114 935

EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA LEOPOLDI BARTOS, SZEGED.

## INTRODUCTIO.

### I. — De Iohannis Rabensteinensis vita et operibus.

*A) Vita.*

Iohannes Rabensteinensis (1437—1473) e familia equestri Bohemica ortus est, cuius sedes olim in castello Sychrov apud Rabstyn (Rabenstein) supra Strelam in Bohemia occidentali erat. Pater eius *Iohannes de Rabstein*[1]) († ante a. 1450), civis Zatecenus valde opulentus a. 1416 Pragae scribam Iohannem Reginogradecensem Scripturae sacrae exemplar versionis Bohemicae ad usum suum lepidis litteris exarare iussit. Cuius Iohannis (I) filii honoribus longius processerunt. Ex iis, quos Iohannes (I) e Catharina prima uxore procreavit, *Iohannes Rabsstein*[2]) (II, † 1457) Sigismundo regnante burggraviatum Wyssegradensem adeptus est et Ladislai temporibus primi procuratoris regii munere fungebatur. In ampliorem gradum *Procopius* evectus est, in cancellaria Sigismundi, Alberti et Friderici imperatorum olim scriba, tum apud Ladislaum et Georgium Bohemiae reges multos per annos cancellarius supremus revera officio fungens, cui Aeneas Silvius Somnium de fortuna (1444) dedicavit. E secunda Iohannis (I) uxore, cuius nomen ignoramus, sed originem generosam suspicamur, noster *Iohannes* (III) a. 1437 natus est.[3])

Eius vita iam aetate puerili splendere coepit. Sedecim annos natus neque adhuc in presbyterum consecratus, iam honorem praepositi Wissegradensis adeptus est, quocum titulus regni Bohemiae cancellarii supremi officio carens coniunctus erat. Anno sequente 1454 mense Decembri Iohannes in Italiam, ut litteris humanioribus imbueretur, Procopii fratris impensis missus est, qui facile impetravit, ut Iohannes praeter spem episcopatus mox assequendi Friderici imperatoris litteras commendaticias Vindobona secum aveheret. Ad studia iuris canonici ineunda Iohannes Bononiam se contulit. Hic in universitate celeberrima inscriptus[4]) scholas usque ad ineuntem a. 1457 frequentavit, sed, cum Procopius et Iohannes (II) fratres Budae commorantes peste contagiosa correpti essent, studia interrumpere coactus est. (Decretorum doctoris gradum posterioribus temporibus iterum in Italia degens, fortasse demum a. 1461 Papiae [Pavia] assecutus est.) Bononiae praeter decreta etiam litterarum renascentium studiis adhaesit, quas iam domi Procopio fratre, Aeneae sodali, praeeunte adamare coeperat.

Pragae 13. Nov. 1457 a Ladislao rege in praepositurae Wyssegradensis possessionem realem introductus est tanta cum sollemnitate, ut utraquistarum Pragensium bilem commoveret. Sed mox cum Georgius de Podiebrad rex Bohemiae electus esset, Iohannes Procopium imitans officiis apud aulam eius fungi coepit. Iam a. 1459 legationi praefuit, quae Georgii nomine Aeneam, modo papam electum (Pium II.), gratulandi causa Senis (Siena) adiit. Ibi ultra mensem commoratus et non solum protonotarii et referendarii titulo a papa praeditus, sed etiam plurimis codicibus magna pecunia coemptis munitus in patriam rediit.

---

[1]) Haec nominis forma in eius sigillo invenitur (Arch. Trebonae II 173 N. 2).

[2]) In sigillo eius (Arch. Trebonae II 265 A N. 1, II 151 B N. 1).

[3]) In familiis saec. XV filius iunior nonnunquam idem nomen ac frater eius adhuc vivens habebat. In allocutione ita distinguebantur, ut iunior vocabulo deminutivo appellaretur, velut *Jan* et *Janek* (Arch. Cesky III. p. 481 n. 122).

[4]) A. 1454 Iohannes de Rabenstein, qua nominis forma et ipse semper utebatur.

A. 1462 in Bohemia in concilio Budvicensi et in comitiis Pragae interpretis Latino-Bohemi vice fungebatur, mox in Italiam ad papam denuo Georgii regis nomine acturus abiit.

A. 1463 Procopius una cum fratribus a Georgio in ordinem liberorum dominorum (baronum) evectus est. Unde etiam Iohannes se *dominum de Rabenstein* non sine fastu appellare consuevit.

A. 1464 denuo, sed privatim tantum in Italiam profectus usque ad a. 1467 Papiae commorabatur. In universitate Papiensi olim a Carolo IV. condita praesertim Iohanne Grasso (Giovanni Grassi), iuris consulto et tractatuum repetitionumque auctori haud incelebri, familiariter videtur esse usus. Papia a. 1465 ad aliquot menses Romam recessit ibique a papa Paulo II. candidatura praebendarum in dioecesibus Frisingensi et Passoviensi donatus est. Exeunte a. 1467 in aula Ludovici XI. Aureliani tempus trivit.

Demum Augusto mense a. 1468 testimoniis firmatum est Iohannem in patria in oppido Prachaticz fuisse, quod oppidum iam ab a. 1457 in Rabensteinensium possessione erat. Ibi etiam Disputacionem suam miro patriae amore incensus forma dialogi in epistulam ad Iohannem Grassum inserti a. 1469 composuit, frustra efficere studens, ut lites inter papam et Georgium regem minime gladio ignique, sed prudentia et humanitate diiudicarentur.

Opusculo confecto per plures menses ipse neutri parti se adiunxit. Immo, postquam Matthias a papa rex Bohemiae confirmatus est, Iohannes medium se gerere studuit. Demum excommunicationis minis ab administratoribus archiepiscopatus Pragensis prolatis permotus est, ut ad Matthiam transiret. Quid tunc sensisset, ipse in operculo cuiusdam codicis adscripsit[5]:

Haec tempora in regno Bohemiae qui fugere potuit, beatus fuit, quoniam nullus locus bono homini extabat, furta, latrocinia et praedae dominabantur, adolescentes prae tristicia canescebant, senes non nulli omni suppellectile, omni patrimonio, domo, rebus denique omnibus praeda, igne ruinaque privati, laqueo propriis manibus iniectis (sic) finire vitam sunt compulsi. Foelix qui potuit horum temporum non cognoscere causas. In his et praecesse laboriosissimum et subdicionis iugum ferre durissimum, in domibus propriis morari gravissimum, lares penatesque relinquere acerbissimum erat. Inter quae morte secunda nil magis faustum homini contingere potuit. Qua saepe saepiusque optata dum potiri non potui, tandem tristis dilectissimam patriam relinquere sum compulsus. Has in oras Iohannes de Rabenstein veni, ossa hic condita sunt, animam caelesti gaudio frui, care viator, opta.

Mox autem in praedium Prachaticense revertit, ubi a codicibus bibliothecae solacium peteret[6] bonaque sua administraret. Postea Iohannem etiam aulae Matthiae regis nonnunquam officia praestitisse comperimus. A. 1471 confirmationem a papa editam Iglaviae Bohemice pronuntiavit unaque cum administratore Pragensi Hanussio de Kolowrat legationi a Matthia ad comitia Ratisbonensia missae praefuit. Eodem anno, nisi iam prius, canonicatu Vratislaviensi ornatus est aliarumque praebendarum in dioecesibus Frisingensi et Ratisbonensi spem 1. Ian. 1472 nanctus est.

A. 1472, quo Ingolstadii Ludovicus Bavarus academiam condidit, ad universitatis erectionem Matthiae nomine salutandam Iohannes noster orationem composuit, non autem habuit.

A. 1473, cum a Matthia Vratislaviam missus esset, ut cum ordinibus Silesiae ageret, non solum infectis rebus redibat, sed etiam revertens prope Brunam ab iis, qui Vladislao Polono favebant, captus et in custodiam coniectus est. Inde post aliquot menses a Matthia redemptus Budam se contulit, ubi in festo s. Elisabeth 19. Nov. 1473 triginta sex annos natus praematura morte obiit.

---

[5] L. Pröll, Gesch. d. Prämonstratenserstiftes Schlägl 1877, p. 96; Urbánek, Sborník filol. XI, 1939, p. 229.

[6] Eius bibliothecae olim Prachaticensis magnam partem heredes monasterio Plagensi (Schlägl) vendiderunt; codices Rabensteinii annotationibus muniti ibique adhuc servati multum ad Iohannis vitam cognoscendam conferunt.

*B) Opera.*

1. *Disputacio* (v. inferius).

2. *Oracio Iohannis de Rabenstain in erectione achademie Ingelstatensis aliis orantibus tacite composita*, quam Georgius Hauer monachus servavit (Monaci, Cod. Lat. 1214, fol. 40r-46r), typis ab H. Waltzer l. c. p. 637-43 impressa.

3. *Tria diplomata Latina* 15. Mart. 1463 Pragae (copia in diplomatario Instituti historici Pragae); 6. Iun. 1469 Prachaticz (typis expr. *G. Friedrich*, Cod. iuris municipalis III., p. 528-529); 11. Ian. 1671 Prachaticz (typis expr *B. Ryba* l. c. p. 271, ann. 1).

4 *Epistulae privatae Bohemice scriptae:* 14 epistulae ad Iohannem Rosenberg usem a 22. Aug. 1468 ad 6. Mart. 1473 datae, quarum autographa in archivo Schwarzenbergico Trebonae servantur (typis expressae sunt tredecim in Archiv Cesky V. p. 345 n. 54 et VII. p. 345-93 n. 263-359, quarta decima apud *B. Ryba* l. c. p. 270, ann 1).

## II. — De codicibus, editionibus et versionibus Disputacionis.

*a) Codices.*

á Vratislaviae, bibl. univ. IV Fol. 151a, pag. 787-812, saec. XV. chart. (apud *Bachm.* A);

é Vratislaviae, bibl. univ. I. Qu. 85, fol. 19r—41v, saec. XV., chart. (apud *Bachm.* B).

Apographa sunt, mendis non carentia, quorum á praestantius; utrumque denuo contuli.

*b) Editiones.*

1861 - *Jord.:* Max Jordan, Das Königthum Georg's von Podébrad, Leipzig 1861, Beilage N. IV. K. (p. 482-513).

1876 - *Bachm.:* A. Bachmann in: Archiv f. österr. Gesch. LIV, 1876, p. 351-402.

*c) Versiones.*

1860 - *Pal.:* F. Palackv, Dejiny národu ceského w Cechách a w Morawe, IV. 2., Praha 1860, p. 583-614 (versio Bohemica abbreviata e cod. é); idem, Geschichte von Böhmen, IV. 2., Prag 1860, p. 670-704 (eiusdem versio Germanica).

BIBLIOGRAPHIA.

De Iohannis Rabensteinensis vita et operibus praeter encyclopaedias haec potissimum opera consulas: *A. Bachmann*, Bemerkungen zu Johann's von Rabenstein „Dialogus", in: V. Jahresbericht d. deutsch. St. Real-Gymn. in Prag 1877; *J. Truhlár*, Pocátky humanismu v Cechách (Rozpravy Ces. Akademie, III. tr., roc. I., c. 3), Pragae 1892, p. 29-36; *H. Waltzer*, Beziehungen des böhmischen Humanisten Joh. v. Rabenstein an Bayern, in: Mitteilungen d. Instit. f. österr. Gesch. XXIV, 1903, p. 630-645; *G. Vielhaber—G. Indra*, Catalogus codicum Plagensium (Cpl.) manuscriptorum, Linz 1918, passim; *B. Mendl*, Knihovna Jana z Rabstejna, in: Rozhledy po literature a umení I, 1932, p. 89-90; *R. Urbánek*, Tri Janové z Rabstejna, in: Sborník hilologicky (Acad scient. Boh.) XI, 1939, p. 199-238; *B. Ryba*, K biografii humanisty Jana z Rabstejna, in Cesky casopis historicky XLVI, 1941, p. 260-272.

Dabam Pragae mense Septembri a. 1942.

*B. R.*

## IOHANNIS RABENSTEINENSIS

# DISPUTACIO

Clarissimo iuris utriusque consulto Iohanni Grasso preceptori 1
colendissimo Iohannes Rabensteinensis salutem plurimam dicit.

Cum ex Urbe Bohemiam adveni, plerosque amicos dissiden- 2
tes reperi; vario enim voto in diversa scindebantur, eosque, quos
amicos reliqui, in inimiciciam intrasse compertum est. Mirabar et 3
quid inter se protenderent, tacite considerando musitabam. Fac-
cioni autem Gibelline et Gelphe nescio quid simile ostendebatur.
Hii cum ecclesia sub specie fidei, hii cum rege suo, a summo 4
pontifice dignitate privato, iurisiurandi, uti ipsi asserunt, memores
persistentes bellum atrocissimum agebant, clades, latrocinia, rapi-
nas, incendia, stupra virginum, matronarum enudaciones, puero-
rum puellarumque homicidia ac cetera nepharia commitentes. Sacre
virgines monace e suis castis cellulis eiecte ludibrio aliis victum
prostitucione querebant.

Et cum diversi inter se multa iactarent, forte inter viros nobiles et claros intercidi, qui secundum patrie consuetudines eruditi et prudentes appellantur, Zdenkonem Sternbergensem, qui per ecclesiam generalis imperator seu capitaneus parcium ecclesie erat constitutus, Wilhelmum de Rabie, non minime auctoritatis partis ecclesie Romane, Iohannem Sswambergensem, magistrum cruciferorum ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui inter utramque libram in equilibrio medias tenens partis stare volebat.

Me quoque intuentes: Quid tu, inquiunt, ex Latinis oris inter 7
nos advenisti, Iohannes?

At EGO: Ideo veni, ut in patrie solo vitam meam degam cum 8
litterali felici ocio.

Loquitur SSWAMBERGENSIS: Longe quidem te fefellit opi- 9
nio, nec nobis iam mirandum erit, si nos, qui non adeo veluti tu
litterarum labori insudavimus, in hac perplexitate erramus, cum
te, quem divinarum et humanarum rerum existimamus peritum, in-
ter arma studio vacare comperimus. Cicero tuus te facile confutat, 10
cum inter arma silere iubet leges.

ZDENKO: Error suus non cedit miraculo, cum divini Ieronimi 11
verba audiverim: Bonus in foro malus in thoro, bonus in thoro
malus in foro. Sed convenit tibi, Rabensteinensis, ut non custos 12
solum cartarum existas, sed utrumque tempus, belli et pacis, per
te bene geratur.

Tum EGO: Bella gerant alii, nobis nostra silencia proderunt; 13
litterarum ocium semper per me summa cum diligencia affectatur.
(Ne autem „inquam“ et „inquit“ sepius interseratur, me ipsum et 14
omnes coram loquentes adducemus.) Etsi uterque modus me non 15
fugiat, bellorum tamen viam summo persequor cum odio.
SSWAMBERGENSIS: Pro certo bene sentis. Et ego, qui reli- 16
gioni deditus sum, pacem habere summopere cupio. Sed si pacem 17
diligis, inter utramque partem necessario distraheris. Bellum enim 18
precepit legatus pontificis summi, et nisi bellum fiat, interdicit,
anathematizat, excommunicat, dignitatibus privat, et hec omnia non
sua auctoritate, sed illius, qui summus est, Romani scilicet ponti-
ficis, se peragere iurisiurando affirmat.
RABENSTEINENSIS: Bellum mandat? Audio et pavesco. 19
Obediencia summe existit auctoritatis, bellum nunc contrarium, po-
testas Romani pontificis permaxima. Tu, Zdenko Sternbergensis, 20
oportune ades: es, ut audio, huius negocii prepositus. Rogamus, 21
edissere: quid tibi hac in re notum est?
ZDENKO: Iam per universum orbem christianum manifeste 22
constat heresim Hussitarum et Wiglefistarum in conciliis et post per
summos pontifices consistorialiter damnatam, cuius defensor Geor-
gius de Podiebrad, quondam rex Bohemie, extat et propter sua
demerita a sede apostolica et pontifice summo Pio Secundo citatus,
contumax existens testibus vocatis deponentibus tanquam hereticus
condemnatus est. Quam condemnacionem execucioni mandare vo- 23
lens Paulus Secundus, presens pontifex maximus, eum publice here-
ticum sedi apostoliceque periurum denunciat, bellum cum diffida-
cione publica contra eum et eiusdem cum regno Bohemie me su-
premum imperatorem edixit, et omnibus orthodoxe fidei subditis
sub penis maximis interminando mandata dat, quatenus eidem here-
tico assistere non audeant; quin pocius bellum dominicum mecum
una contra eum et suos complices assumere et gerere precepit.
RABENSTEINENSIS: Ego certe semper sedi apostolice ob- 24
ediens esse volo. Sed hec adeo in admiracionem trahunt animum
meum, ut, quid respondere debeam, ignorem, quomodo ille Geor-
gius hereticus existens regiam dignitatem sit adeptus, quoniam tunc
et abfui et in illa conspiracione presens non eram.
WILHELMUS RABIE: Id, quod queris, amice prestantissime,
etsi Zdenko Sternbergensis clarius multo possit dicere, qui eleccionis
illius auctor et primus elector fuit, tamen exquo lunatico more in
aliam versus est provinciam, ego brevibus dicam. Alberto rege, 26
cuius uxor ex Lucemburgensi erat prosapia, mortuo, in diversa
Bohemorum scindebantur vota, bella et prelia tum in domesticos
tum in exteros concitabantur, multarumque parcium Georgius de
Cunstat et Podiebrad electus est dux, et hic noster Zdenko Stern-
bergensis ad eiusdem Georgii mandata gratissimus satelles militabat.
Urbem regiam Pragam, quam et modo extare videmus, prothocon- 27
sules regebant, Menhardo Nove Domus domino pre aliis Prage auc-
toritatem habente, heresisque Hussitarum in urbe presertim Pragensi

non pro mediocri parte corruerat. Georgius et Zdenko noster Prage 28
amicos faccionis constituentes urbem cum exercitu aggrediuntur,
civibus faccionis consciis non contradicentibus, viris orthodoxis
consulibus et prioribus eiectis, sacerdotibus fugatis in templis sa-
crosanctis hereticos reddentes Menhardum, virum catholicum, urbis
prepositum, captum in carceres coniciunt. Cuius officium burg- 29
graviatus Pragensis Zdenko accepit, quod et usque in hec iusto
sub titulo dicit sibi durare tempora; Georgius gubernatoris officium
occupat. Unus animus, una manus, unum consilium omniaque com- 30
munia Zdenkoni et Georgio fuerunt. Tunc Rokiczana archipresul 31
dictus, tunc ex divo delubro arcis sancti Wenceslai decanus et
archipresbiteri pedibus fugam petentes sibi consuluerunt, tunc
Smirziczky captus et capite truncatus est, cuius bona — et quid
dico ipsius, ymmo ecclesie Pragensis — non tutorio, sed tollitorio
nomine Georgio auctore Zdenkoni cesserunt, pupillisque contutor
paterno testamento datus Iohannes Rabensteinensis, nostri presentis
Iohannis germanus, erat; Zdenko tollebat, Iohannes tutabatur, non
equali passu college correspondendo. Sicque Georgius et Zdenko 32
preda ditati, modo moriturum nobilissime stirpis adolescentem indo-
lis egregie Ladislaum, ex Austrie et Lucemburgensi genere principem,
cui regnum Bohemie iure paterno obvenire debebat, veluti per
eleccionem in regnum acciverunt. Georgius Ladislaum, Zdenko 33
Georgii voluntatem gubernabat; ubi multas ecclesiasticas possessio-
nes Zdenko iniusto titulo acquisivit. Quid enim non quereret, cum
omnia potens iure amicicie sue dicioni subditus esset? Ladislaus 34
sponsalia nequidquam cum filia regis Francorum habiturus mori-
tur tandem; cuius mortem multi naturalem, multi veneno obtigisse
dicunt; quam illis constare credimus, in quorum scola et regimine
adolescens versabatur. Potestas imperii Bohemorum iure gubernacio- 35
nis apud Georgium extabat, qui concione vocata eleganti Bohemo-
rum eloquencia, que sibi facile affluit, novelli regis eleccionem
necessariam fore persuasit, et cum omnium maiorum in dubio vota
tenerentur, per Zdenkonem primo omnium hesitacione dissoluta
Georgius rex pronunciatur; primus ei genuflexo salutacionem regiam 36
exhibet; cui ob sua egregia milicie domique gesta facinora et
auctoritatem ex prudencia quesitam non minimam ab omni nobi-
litate et facile assencienti vulgari populo acclamatum est: Vivat
Bohemorum rex Georgius! Georgium regem veneracione cum
subdita salutamus! Qui laudibus Deo persolutis regia usus est 37
potestate. Audita tunc fuisset multorum fidelium catholicorum vox 38
aliud publice clamans et occulte inter amicos susurrans. Eleccionem 39
calumniabantur, Zdenkonem accusabant, sed cum potenciam electi
et eligentis considerarunt, timore et minis perculsi tacere compel-
lebantur. In quibus omnibus, viri prestantissimi, veritatem dixi 40
eleccionis; sin autem Zdenkoni aliud videtur, dicere potest.

SSWAMBERGENSIS: Et idemtidem michi placet et Iohanni 41
Rabensteinensi placiturum credo.

RABENSTEINENSIS: Cur displiceat, intelligere non possum. 42

Ob hoc enim nos in unum Deus bonaque et secunda fors con-
iunxit, quemadmodum sepius accidere videmus quodam quasi ductu
astrorum in unum homines convenire, ut ex mutuo convivio multa
rei publice conveniencia proferantur.
ZDENKO: Exquo sic in unam transitis sentenciam, ego voluntati 43
vestre brevibus satisfacere laborabo. Wilhelmus vera falsis miscendo 44
multa protulit; ea, que vera sunt, ab eo tamen, exquo partes fovet
damnatas contrarias, invidie alicuius causa dicta fore arbitror. Eam, 45
quam illi damnato Georgio feci assistenciam, credens pollicitaci-
onibus, credens pactis, credens stipulacionibus per eum sedi apo-
stolice iureiurando confirmatis, me fecisse volo non ignoretis.
WILHELMUS: Quare igitur, cum sacerdotes catholici pelle- 46
bantur, non contradixisti? Quare, antequam ullam faceret sedi 47
apostolice promissionem, tu sciens eius sectam damnatam, in Praga
habenda, in barone nobili Rosembergensi sibi subdendo suus eras
adiutor? Dum in marchiam Misnensem exercitum duxit, nonne 48
iura milicie per te sive tuos sibi exhibita fuere? et sub tanto sepius
militasti imperatore decurio et miles, a quo nondum ullum iura-
mentum unquam aut stipulacio sedi apostolice exhibita fuerunt?
RABENSTEINENSIS: Hec certo, Zdenko, si vera sunt et nota 49
forent summo pontifici ceterisque prelatis et principibus, non mi-
nimum dubium tui belli apud ipsos credo paritura.
ZDENKO: Etsi pontifici summo nichil promisit, michi tamen 50
multa semper spondebat.
WILHELMUS: Cum facta vidisti contraria, facile non ipsum 51
adiuvare debuisti, quinymmo si tantus, uti nunc asseris, fidei eras
zelator, resistendum tibi erat.
ZDENKO: Et his loco suo responsum dabitur oportunum. Nunc 52
volo, an aliud michi faciendum erat nisi mandato sedis apostolice
obediendum, consideretis. Imperator et dux belli istius per sanc- 53
tissimum dominum nostrum declaratus sum; maiorum meorum,
quos nunquam errasse constat, fides nota fuit apostolice sedi; manda-
to accepto satisfacio, ad quod explendum omnes catholicos teneri
confiteor.
WILHELMUS: Et de his, si placebit, paucis edisseram. Non 54
autem opere precium est tibi illam maximam, quam tu dicis, maiorum
tuorum fidem in oculos nostros proicere. Quid Alsso Sternbergen- 55
sis, patruus tuus, hereticis coniunctus contra regem Albertum egerit,
te ipsum et hos nostros amicos fugere non existimo.
ZDENKO: Quid egit? Profer in medium! Scio enim semper 56
aliquos ficta et non vera in mortuos proicere.
WILHELMUS: Magis consultum michi videtur, ut taceam; 57
multa enim dici possunt, nisi aliud tempus, locus et presencia
amicoru nostrorum suaderent.
ZDENKO: Age, que scis, loquere! Nam dubito, quid hec 58
sermonis suspensio operatur.
SSWAMBERGENSIS: Non sic convenit, viri amicissimi, non 59
hec decent conventum nostrum, sed magis vos rerum experti nos

inexpertos veritatem docete! Alii obprobria, alii parve auctoritatis 60
homines maledicta conpingant. Hoc unum volo sciatis hanc verbo- 61
rum discordiam michi non esse consentaneam.
RABENSTEINENSIS: Michi quoque non mediocriter displicet, 62
quoniam cum de aliquo tractandum est, non probris et iurgiis, sed
veritate, legibus et auctoritate certandum est. Sic placet iuri canonico, 63
sic homines moribus, virtute et sciencia edocti consulto determi-
narunt. Dimittite, queso, illa obprobria, dimittite maledicta, que non 64
victoriam, non veritatis probacionem vobis dare possunt.
ZDENKO: Morem geram vobis, dummodo et Wilhelmus a 65
maledictis cesset.
WILHELMUS: Ego tacebo, quoniam disturbiorum auctor nun- 66
quam esse volui.
SSWAMBERGENSIS: Magis certe nobis bene consuletis, ut 67
a vobis de fundamento belli huius perdoceamur. Tu enim, Sternber- 68
gensis, mandatum apostolicum dicere incepisti; a te, Wilhelme, plu-
ra dicenda promissa sunt, et post nescio in quas intrastis ambages.
ZDENKO: De precepto apostolico dixi, que et debui et dicere 69
volui; si Wilhelmus aliud sentit, audiam libenter.
WILHELMUS: Aliud intelligo et credo veritatem.
RABENSTEINENSIS: Vobis et nobis multa instant agenda et 71
Ovidio teste tempora „labuntur more fluentis aque“. Dic, sodes!
WILHELMUS: Agam, ut petitis. Zdenko noster belli causam
non aliam nisi auctoritatem ecclesiasticam pro destruenda secta
damnata et heresi Hussitarum asserit. Sed pace tua, Zdenko, vir 73
amice, ordiar rem alcius nec, credo, si veritatem dicam, inficias ibis.
ZDENKO: Ego veritatem suscipiam; falsitati, michi crede, 74
contradicere volo.
SSWAMBERGENSIS: Sic fiat, Wilhelme; promissa perage!
WILHELMUS: Georgio opera Zdenkonis et consilio electo, 76
episcopis, qui ungere regem et coronare Bohemie, uti non ignoratis,
sunt soliti, deficientibus, ex Ungaria pontifices quibusdam cum
Mathia rege Ungarie pactis conclusis advocarunt. Eo coronato per 77
Georgium prius iusiurandum sedi apostolice pro heresi exterminanda
prestitum est. Et quamvis, Zdenko, ante ullam promissionem et 78
coronacionem suus gratus fueris satelles, postquam regni guberna-
cionem potenti manu suscepit, nonne tu in omnibus suis consiliis
interfuisti? Cum affirmabat, et per te affirmabatur; cum negabat,
negasti; ipse album, per te nix addita est; ipse nigrum, tu veluti
corvum aiebas. Post auctore Georgio monasteriorum et ecclesiarum 80
dos per te distracta est, hereditas dominorum de Nova Domo, tuorum
patruorum Sternbergensium itemque illorum de Smirzicz expilata
est. Cetera fiebant, que nunc, ne maledictis dem occasionem, tacere 81
volo. Post tamen tu bene iam nummatus, cum discordias pleras- 82
que regni civiles, nonnullos subditos sibi rebellasse aliosque rebella-
turos cognosceres, spem tibi te fallituram ponens in eo, quod nephan-
dum est, sociis novarum rerum cupidis ascitis novam quandam
paccionem es ingressus.

ZDENKO: Semper sub quodam velamine pungis famam meam, 83
ceu nonnulla occultare vellem. Sic si progreditur, viri prestantissimi, 84
ego non tacebo.

RABENSTEINENSIS: Color rethoricus est, quem occupacionem 85
appellant, ut se taciturum firmet et tamen proferat. Eas ob res, 86
Wilhelme, palam loquere! Hec enim tendicula dyaleticis et sophi-
stis dimittenda est.

SSWAMBERGENSIS: Michi etsi artes tam dyaletica quam 87
rethorica sint incognite, hoc tamen unum non ignoro apud nostrates
sermonem talem suspicionem generare, et idcirco equum esse iudico,
ut aperte loquamur.

WILHELMUS: Loquar, et id, quod dixi sub velamine, dico 88
aperte: regium nomen et regiam dignitatem concupiscis.

ZDENKO: Deum testem invoco hec nunquam menti mee 89
incidisse. Quid enim regnum affectem, cum id sapientissimis et fortis- 90
simis et potentissimis viris solummodo obtingat? Exemplum in hoc 91
vestro damnato Georgio nobis datur, qui quoniam indigne ascendit,
dignissime a culmine regio repulsus est, iuxta illud Scripture: Eciam
si ascendas ut aquila, tamen vento flante corrues. Ne igitur turpius e- 92
iciar quam admittar rex, statu meo contentus alciora non appeto. Pro
fide autem catholica omnia pati nunquam recusaturus sum. Homines 93
hec et cetera loquantur, quoniam tacere nesciunt: ego false dicta veri-
tate semper duce Deo contundam.

WILHELMUS: Verba audivimus, facta accipimus. Quid egeris 94
ultra, prosequar. In castello tuo Viridi Monte, quod ex monasterio 95
propter summam tuam erga clerum, sedem apostolicam summumque
Deum devocionem exedificatum occupas, episcopus Wratislaviensis
Iodocus, Iohannes Rosembergensis, Burianus uterque Gutssteinensis,
Bohuslaus Sswambergensis et ceteri convenistis. Tu, quemadmodum 96
prudenti habundas astucia, nonnulla in regno emendanda, ita ut
illius facinoris prefectus existas, facile illis persuasisti, ibi monetam,
ibi iura, ibi nescio quas per Georgium occupatas nominasti liber-
tates, et eas pro re publica tu. qui libertatem eras occupaturus, te
defensurum spondebas; sicque sub tali colore primum potentes
habens facinoris comites in hanc perduellionis provinciam ingressus
es. Nos autem, qui pacem dileximus, et quorsum hec tenderent 97
intelligentes, ne tua itinera corrumpantur, ad hec minime vocati sumus.
Pro bono autem publice utilitatis in opido Nove Domus, ego cum 98
pluribus, ibi te convenimus. Inter collegas aderat nostri Iohannis 99
germanus Procopius Rabensteinensis, cancellarius, vir et humanitatis
benigne et prudencie non parve. Consilio inito tu pro tua consuetudine 100
pre aliis concionandi provinciam es ingressus; ea quoque supradicta
contra Georgium tunc regem cum non mediocri ampulositate adducta
sunt. Que cum omnia nos emendacioni subdita profiteremur, nec 101
ulla quidem pacis via per te amplexa est, quinymmo ex alto et
basso, ac si te iam diademate fulgentem visuri essemus, omnia per
nos ad publici boni utilitatem inventa reiecisti. Et quod maximum est 102
— audite queso, audite queso, viri, patres et amici! — Zdenko noster

palam interrogatus, si pro fide catholica contra heresim Hussitarum
bellum sit gesturus, publice iure confirmans iurando professus est
suum non esse fidem expedire, pontifici summo hoc esse concessum
et hanc esse Bohemorum antiquam discordiam, quam, cum patres
non potuerunt, nec ipsum se posse destruere, sed libertates, sed
iura et monetam regno convenientem habere se velle affirmabat. Hec 103
illa tua professio moderne locucioni estne similis? Uniusne an
duplicis lingue te iudicare debemus? Rogo, responde, responde! 104
Audiam pacienter.
ZDENKO: Multis hoc ex nature malicia inditum esse iudico, 105
ut suam causam in medium afferre nesciant, nisi maledicant, obtrec-
tent et pungendo configant. Serpentina hec natura est; in te autem, 106
Wilhelme, id natura melius fingere non potuit. Ego una cum meis 107
collegis non facciones, non ligas damnatas, quemadmodum videris
asserere, fecimus; quinymmo videntes multas cleri et catholicorum
oppressiones nostrisque metuentes capitibus, cum Georgium iam
Deo et ecclesie sancte infidelem cognoveramus, bonum publicum
privato anteponentes, concordiam, quam tu nobis maliciose expro-
bras, summo cum honore aggressi sumus et profecimus in conventu
Nove Domus. Non conveniebat coram te et aliis in fide vacillantibus, 108
quod et facto ostenditis, secreta fidei revelare, cum ante porcos
margarite non sunt proiciende, nec adhuc ullum expressum man-
datum sedis apostolice acceperam. Sed mox cum advenit, tanquam 109
filius obediens patri suo, pontifici summo, fore parendum iudicavi,
feci, executus sum faciamque, quoad vita fruar comite. Tu, qui te 110
catholicum iudicas, cur obedire contemnis?
WILHELMUS: Cum te videro pontificem, tunc mandata tua 111
suscipientur felixque erit Pragensis ecclesia tanto donata presule,
et iam non incassum te archipresulem Rudnicensem arcem posse-
disse intelligam; fidei enim corrector ex illa nobis est ortus. Si 112
communi consilio causam fuissetis aggressi et vestra mala informa-
cione res apud pontificem summum infecta non fuisset, ab omnibus
approbatum omnes tutarentur.
ZDENKO: Tene vel tui similes in consilium vocare debuimus? 113
RABENSTEINENSIS: Sue constancie racionem reddet Wilhel- 114
mus. Hoc unum scimus multos viros clarissimos et catholicos hoc 115
in regno existere, qui — pace vestra dicam — in hoc negocio eque
fideliter veluti vos consuluissent. Cur his causam fidei manifestam 116
non dedistis, apostolo consulente corde credi ad iusticiam, ore au-
tem fieri confessionem ad salutem?
ZDENKO: Tacere in tempus summa prudencia est. 117
SSWAMBERGENSIS: Si tocius rei infeccio per vos timenda 118
erat, fidelibus orthodoxis, quorum parvus extat numerus, sub sigillo
confessionis, veluti mos secretorum est, saltem erat dicendum aliis;
etsi vos summas raciones adducere nitimini, apud tamen homines
scrupulosa semper existimatur vestra illa taciturnitas.
WILHELMUS: Magis est, quod dicere volo. Causam fidei, que 119
per maiores semper est tractanda homines, Zdenko noster per non-

nullos floccipendende auctoritatis apostatas homines in folium belli involvit, veluti secundum hominum communem opinionem rapinis et incendiis suis magis consonum videtur, et bene nobis consultum existimat, si homines trium litterarum — non more Terencii, sed nostro more loquendo — ignaros pro summis iurisconsultis habeamus.

ZDENKO: Multa loquuntur homines et multa producunt. 120
Asseveras, Wilhelme, que si fidem reperirent illam, quam tu profers,
facile nostra tota corruet veritas. Ego nec pontifex nec sacerdos 121
existo. Sunt prelati, qui ceteris minoribus auctoritatem prestant.

WILHELMUS: Non de hoc modo in questione conveniat, per 122
quem illi committantur errores, sed constat id per leves fieri homines tibique amicissimos, quod ego utique nec bonum nec tante rei consonum iudicare possum.

RABENSTEINENSIS: Quis causa erroris tanti existat, ego igno- 123
ro. Si tamen arduissima causa fidei, veluti ait Wilhelmus, committitur parve auctoritatis et sciencie hominibus, detestabilem levitatem
esse scimus. Sicut enim secundum Platonem beata est res publica, 124
que a doctis gubernatur, sic miserrima quippe erit, si indoctos presertim in causa fidei habere debet animarum pastores, et cum hoc regimen, canonica disciplina teste, ars existat arcium, non immerito illi magistri essent preponend magistrorum; si autem cecus
ceco prestat ducatum, fovea repleatur necesse est. Tripartitam hi- 125
storiam pre oculis ponamus Athanasii, ubi presules Alexandrini sciencia, auctoritate, rerum experiencia et vite morumque sanctitate summa habundantes negocio heresis Ariane extirpande preposit erant, et cum filii tenebrarum maiorem huius mundi habeant sapienciam filiis lucis, hii nobilissimi presules astucia hereticorum sepius
a sede eiecti, ab ecclesiis quoque pulsi fuere. Ibi, quomodo per- 126
ierit heresis tanta mole fundata, et quid in rebus nostris sit agendum,
veluti in speculo considerabimus. Constantinus Augustus concilia 127
multorum convocavit doctissimorum episcoporum; de veritate homousion invenienda per doctissimos theologos illic disputatum
est. Simbolo concluso non armis, non incendio, non ruina et clade 128
fides probabatur. Sevierunt heretici: non insurgebant, sed defen- 129
debant christiani; et cum defensio hominum defuit, lacrimis, oracione, ieiuniis prostrati, misericordiam implorantes gladii acuti, in
manus hostium conversi sunt. Doctorum et sancte vite hominum 130
hec provincia est, doctorum et civium, incolarum, qui mores con-
suetudinesque patrie non ignorent. In ecclesiis enim, ubi cleri et 131
fidei viget persecucio, statuunt de potentibus vel sciencia excellentibus solum in preturas accipiendis; bene validum esse iureconsultis et in sciencia iuris peritis constat. Quantam autem perse- 132
cucionem, quantam labem ecclesiarum hic habuerimus et usque quo habere non desinimus, nemo est, credo, qui dubitet, cum ruine
quotidie oculis sint obiecte. Nunquam igitur consilio meo persua- 133
sum erit hominibus morum et sciènciarum doctrina inexpertis tantam molem belli dominici committendam, quorum nec labra non solum in fonte caballino, sed nec in fonte prophetarum, agiographorum, histo-

rie sancte aut pontificii iuris doctrine probata sunt, cum de fide
agitur et non de lana caprina, non de caprificio, sed de salute
anime, sed de periculo vite agitur eterne, ubi non Aristotiles, non
Plato, non Pithagoras sufficere potest, sed maius nescio quid que-
rendum Aristotile, quoniam, que Diogenes nescierit, que Anax-
agoram fugierunt, hec regenti animas nota esse debent et mani-
festa oportet. An autem doctos vel indoctos, expertos vel inex- 134
pertos, vite sancte vel thabernarie, valentes vel invalidos vestrarum
parcium habeatis in Bohemia ductores, nec prius scivi, nec usque
modo dubio sum liberatus.

SSWAMBERGENSIS: Wilhelmum indoctos et floccipendende 135
auctoritatis esse viros affirmantem audivi. Nescio si Sternbergen- 136
sis noster idemtidem inficias non ibit.

ZDENKO: Egone falsitatem confirmare potero, cum his rebus 137
doctores egregios et electos sacerdotes prepositos habeamus? Et 138
si, veluti in proverbio habetur, baculum nobis pontifex summus
preponeret, nonne illi obediendum fore censetis?

RABENSTEINENSIS: Ego una cum amico nostro Sswamber- 139
gensi obediendum esse iudicamus et ideo clavis auctoritatis supe-
riori data est, ut mandata ab eo rite et racionabiliter procedant;
clavem discrecionis prelatis correquisitam esse non dubitamus.

WILHELMUS: Iam illud plane intelligo, quod sepius docti 140
dicere consueverunt, mandato superioris semper obediendum, dum
tamen clave processerit non errante. Nec per hoc errorem ponti-
fici summo ascribo. In vos culpam conicio, qui vestras partes 141
non uti vultis, sed sicut potestis, tutari conamini. Si quis posici- 142
onem regni intelligens veritatem dicendo vos inconsulte rem aggres-
sos affirmet bonumque et publicum et vestrum privatum, quod vel
non vultis vel intelligere non potestis, persuadere laboret, mox per
vestros subornatos obtrectatores infidelis, iniustus, fautor hetico-
rum, suspectus de errore, inexpertus appellatur. Idcirco e plebe 143
ignaros, inglorios vel nomine doctoris solum gloriantes eligitis;
quibus ad vestras preces, ad vestram, ut ita dicam, astutam et
fallacem subornacionem vestris illis deceptus sponsionibus presul
summus provinciam hec curandi dat. Et per hoc causam vestram 144
fundare firmiter volentes inbecillem ac nullam redditis, exquo multi
homines graves indigestum considerantes vestrorum mandatum,
levitatem vestram allegant auctoritatemque illudunt, scientes longe
longeque melius, quid sit mandandum, quam vestri mandantes,
quo modo sit obediendum. Et quoniam homines gravitate preditos 145
non accipitis, ideo causam vestram auctoritate redditis spoliatam.

SSWAMBERGENSIS: Quorsum progrederis, Wilhelme? Sedes 146
apostolica cum summa moderacione et prudencia facta sua solet
dispensare. Ideo prepositos huius rei, pontificis functos auctoritate, 147
nescio, quo modo salva auctoritate sedis apostolice vilipendere
potes.

WILHELMUS: Factum narravi, iura nescio. 148

ZDENKO: Summum ius est pontifex summus, cui obedire 149

omnes creaturas de necessitate salutis notum est, et in hac sen-
tencia conclusionem firmam habeo.
RABENSTEINENSIS: Sedem apostolicam facta sua ita mode- 150
rari debere manifestum est, ut difficile dictu existat maiorem dili-
genciam adhiberi posse. Sed homines sunt mortales; quanta repe- 151
ritur industria hominum ad reiciendum malicias, tante reperiuntur
malicie ad fallendum prudenciam. Idcirco iure meritoque canon 152
ecclesiastici iuris id edixit papam falli et fallere, oblivisci et errare
posse, ecclesiam autem inmobilem, que sponsa dicitur Iesu Christi, 153
semper inmobilem constare! Utrum autem pontifex in facto Zden-
konis fefellit, id me fugit, quoniam homo privatus omnium rerum sum
ignarus et ea, que facta sunt, vobis melius constare existimo.
WILHELMUS: Iam in hac re probanda multa verba protuli. 154
Testimoniis utar factorum, quoniam hominis egregie vel impru-
denter facta hominis condicionem maxime declarant. Audistisne, 155
viri, fratres et patres, unquam in iure fore clarum, ut pueri infantes
in ventre matris excommunicentur et anathematizentur? penitencia
nisi pecunia soluta in articulo mortis tempore interdicti negatur?
interdicta sine quovis delicto inponantur? Que omnia per excom- 156
municatores eorum commissa fuisse constat.
ZDENKO: De his michi nulla noticia est. Dic, ubi contigerunt? 157
WILHELMUS: Ita esse factum scio, exemplisque probari potest. 158
Et ut de aliis taceamus, Helias vester, non tamen ille Carmelites
propheta, sed illustris alborum Premonstratensium monachorum
apostata, cui ad vestras preces tocius ordinis istius summa ob
eius singularem stoliditatem commissa fuit, hec facinora omnia non
semel perpetravit.
SSWAMBERGENSIS: Idemtidem audivi a pluribus. 159
RABENSTEINENSIS: Doli capax excommunicandus est. Pro 160
peccato enim mortali et pro contemptu solummodo debet fieri ana-
thema, sed in utero positi et infantes illa committere non possunt;
et penitencia sine quovis accepto vel dato imparcienda est; inter-
dictum non nisi iustissima exigente causa feriendum. Eas ob res 161
ego similia iuste fieri posse non reperio.
ZDENKO: Fabellas multi narrant, que in veritate reperiri non 162
possunt. Ubi unquam interdictum iniustum positum est? Audiam 163
libenter.
WILHELMUS: Omnibus in locis, ubi dominus loci catholicus 164
nullam partem adiuvando pace frui voluerit.
RABENSTEINENSIS: Dicite modo ea, que incepistis! De hoc, 165
si sub pena interdicti bellum contra hereticos Romanus possit man-
dare pontifex, dabitur postea disputandi locus.
WILHELMUS: Aliud addere volo, vobisque, uti credo, mira- 166
bilius: quicunque Zdenkoni nostro non favet, qui eum omni gloria
dignum fore non iudicat, publica feritur excommunicacione.
ZDENKO: Non michi, sed Deo datur gloria. Ille, qui me ac 167
bellum, cui prepositus sum, maledicit, maledicit vivarium Christi
et sic in Christum Deum obprobria transmittit; qui autem anathema

dixerit Iesu, hic Paulo teste maledictus et excommunicatus est.
WILHELMUS: Utinam bellum Dei geras! Non tot latrocinia, 168
cedes, incendia, ruine monasteriorum et virginum corruptele sequerentur. Estne hoc Dei bellum, ut cenobium Chotissowiense Deo 169
sacratarum virginum, per tot clades priores servatum, totum ruine incendioque patuerit? Virgines antistesque earum, quem prepositum appellant, quasi mendicitate victum querere compelluntur, omnia bona mobilia et inmobilia per tue faccionis conscios distracta sunt! Idem de Teplensi fecistis templo; non Hussite, non Thaborite, 170
non Wiglefiste, quos vos omnes persequi dicitis, hec egissent nec fecissent. Quid taceo enudaciones honestarum mulierum, infancium 171
mortem, villarum catholicarum exustiones, ob quas res inopia compulsi multi pauperes orthodoxi laqueo sibi vitam conscire sunt coacti. Proh deum hominumque fidem, hocne tu bellum Dei vocas? 172
hec provincia ex mandato vicarii Christi geritur? hicne datur extirpande heresis locus, ut loca Deo dicata hominesque fideles sic crudeliter, sic atrociter ac sine quavis humanitate in predam latronum ponantur?
ZDENKO: Gladio incepit hec secta, necessario gladio est 173
destruenda. Omnis enim res per quascumque causas nascitur, per easdem venit dissolvenda. Humanitas nulla ostendenda est illis, qui 174
humanitate se indignos ostendunt. Heretici condemnati, anathema- 175
tizati sunt, indulgencie crucis contra eos date; et si qui se catholicos appellant, hereticis favendo, adiuvando eos, hereticorum penas et merita sorciuntur. Si catholici sunt, cur ergo non adiuvant nos 176
pro fide pugnantes?
WILHELMUS: Ignoratibus satis satisque persuadet tua oracio. 177
Rem autem in fundamento cur non aggrederis?
ZDENKO: Verum fundamento dico. 178
WILHELMUS: Non ita est. 179
RABENSTEINENSIS: Totam nostram vitam hec duo mono- 180
sillaba versant: *est* et *non*. Si non ita esse dicis, dic ergo, quid est? 181
SSWAMBERGENSIS: Bona hec est conclusio, ne tempus 182
ocio conteramus.
WILHELMUS: Deus nobis dedit racionem nosque pre aliis 183
animalibus racione dotavit, et cum ceteris animalibus arma et defendicula contrariorum a natura prestiterit, cervis cornua, apris dentes, equis ungulas recalcitrantibus, nos nudi ex utero educimur, nudi manemus, nisi racione omnem nostrum defectum supplerimus. Hinc 184
nobis arma fabricantur, hinc vestes, hinc cetera nostro victui necessaria. Ita ergo voluit omnes actus nostros cum prudencia, preme- 185
ditacione et providencia geri, et quamvis presto sit Altissimus veritatem ad iuvandam, tamen, si nos periculo sine racione exponimus, cum eum quasi temptare videamur, suum auxilium a nobis avertit. Vos ergo contra stimulum nitimini calcitrare, et cum prius maximi 186
Romanorum imperatores regesque Ungarie et Bohemie hanc provinciam nisi cum summis auxiliis principum et communitatum sunt ingressi, vos nudi auxilio, sine aliorum consilio, qui eque ad hoc

scisma extirpandum sunt inclinati, rem occipitis, non considerantes
id, quod sepius a doctis historiographis dici audivi, Romanos ex
inexplorato rem aggressos apud furculas Caudinas sub iugum
missos. Primo quoad conventiculum absque quavis fidei mencione 187
celebratum, cur tunc cum aliis baronibus et nobilibus res commu-
nicata non est? Te respondere rogarem, nisi in respondendo tuus 188
michi notus sit animus. Cur, exquo pericula vultis esse communia, 189
consilia privatim acticata fuere? Sed „latebat anguis in herba“. 190
Hic rex, hic archiepiscopus, hic regni camerarius, hic cancellarius
erat futurus. Fefellit opinio. Eas ob res, ut iuvet, quod iuvare potest, 191
fidem ad manus accipitis per nonnullos vestros prius acerrime impu-
gnatam, et cum nullum iam vobis extet auxilium, tirannidem, Zden-
ko, accipitis, cedes in Deum, sanctos iustosque committere non veren-
do. Non iste modus regni in fide restaurandi, sed destruendi, sed 192
enervandi, sed annichilandi est! Quod vos, dum solum malus 193
vester animus impleatur, nichili penditis. O utinam omnia male 194
facta nota forent pontifici, utinam reverendissimis patribus sacri
collegii cardinalibus, utinam reverendis legatis! Sed vestro ex astu 195
nota fieri non permittitis. Legatus mittitur, at in Bohemiam non
intrat, circuit metas; vestris persuasionibus nec aliquem conventum
eciam partis vestre vobis admittendum fore consultum est. Ita, 196
quatenus absque libera contradiccione latrocinia impleantur vestra,
dicere si quis veritatem conatur, vos, ne virus vestrum pateat, eum
mox hereticum, scismaticum nuncupare non veremini. Vultis ergo, 197
vultis catholicorum in excidio et destruccione regni vobis adesse
auxilia, a quibus primordia consiliorum absconsa fuere? Non sic
evenit; habent racionem et ceteri. Ferant sentencias, interdictum 198
anathemataque, quoad saltem aliquando, quid per nos fiat, ponti-
fici et prelatis innotescat! Non ergo ideo heretici censendi sumus, 199
si aliqui nostrum malis vestris conatibus resistere laborantes con-
tradicimus, et aliqui interiorem viam eligentes in pace vos adiu-
vare nolunt.

SSWAMBERGENSIS: Inaudita res aures nostras tangit, quam 200
longa sua et bene limata oracione Wilhelmus disseruit.

ZDENKO: Modo quasi confricacione frequenti tritas falsa lo- 201
cucione habeo, ut, cum prius succensere ceperim, iam in nullam
ducar admiracionem. Naturam enim hanc maledicam Wilhelmi intel- 202
ligo, ut vera semper in deteriorem partem interpretetur. Nunquam 203
me tanto dignabor honore, quemadmodum prediximus, ut regium
nomen dignitatemque regiam concupiverim, sed cum multas senti-
remus damnato ab illo Georgio iniurias, has nos ligas contraximus,
non sub nomine cuiusvis turbulente faccionis, sed gracia iuris et
libertatis nostre tutande. Supervenit mandatum apostolicum, quod 204
exequor et exequi usque ad gladium sanguinemque sum paratus,
pro perdicione temporalium a Deo inmortali me graciam sempi-
ternam consecuturum sperans. Sacras edes aliquas destructas fate- 205
mur; converterant enim eas heretici suis incastellacionibus in spe-
luncas latronum, et ne maiora sequantur mala, fecimus, quod tem-

pus et turbacio regni suadebant. Cetera pro tua incredibili teme-
ritate te locutum iudico.
WILHELMUS: Deus bone! Ubi maior temeritas inveniri potest, 206
quam in homine hoc, qui regna disponere, reges expellere, quod
paucissimis gracia ex speciali concessit Altissimus, aggressus est,
et iam fuco et colirio suo exquisito oculis nostris velamen inpo-
nere nititur? Quare, cum iniurie fiebant, viros saltem optimos ec- 207
clesie sancte fideles in concionem non advocasti? Quare consi- 208
lio bonorum catholicorum usus non es? Cur expulsis hereticis ex
occupatis ecclesiis non, veluti officio tuo conveniebat, sanctimo-
nialibus et monacis saltem redditus et possessiones restituisti? Et, 209
quod magis est, dicis mandatum sedis apostolice supervenisse:
non venisset, nisi, quod michi certe persuasum teneo, malam ve-
stram et frivolam informacionem apposuissetis.
RABENSTEINENSIS: Audivi certe patribus ex clarissimis, si 210
hec res adeo difficilis nota reddita fuisset summo pontifici, nun-
quam in hoc negocio adeo cita mandata data forent. Sed petitum 211
scimus cum instancia ab aliquibus ex vestris; facillimum iudicatu
credens concessit pontifex Romanus. Quid enim denegaret, qui 212
dudum illud, quatenus frons aliquorum conteratur Bohemorum, per-
suadere laboravit! Sed exquo iam periculum commune esse volu- 213
istis, equum erat consilia quoque communicata fuisse; quod omnes
tangit, ab omnibus venit approbandum iurisconsultorum sentencia
teste. Non tamen eas ob res me os in celum ponere velle iudicandum 214
est. Summus extat pontifex, qui discernat et iudicet. 215
WILHELMUS: Et illius prime confederaciones testes advoco 216
te ab eis omnibus in solidum ab apostolica sede capitaneum seu
imperatorem non postulatum.
ZDENKO: Quot tu ponas confederaciones, ego nescio; unam 217
catholicam ligam pro salute animarum nostrarum compositam esse
non ignoramus. Electus sum a meis condefensoribus fidei in cer- 218
tum tempus capitaneus seu imperator; post sedes apostolica motu
proprio ad voluntatem suam me huic bello prefecit.
WILHELMUS: Prima confederacio in Viridi Monte peracta 219
est, ubi nec verbum de fide ullum. Secundam in Olomucensi ci- 220
vitate cum rege Ungarie, non inter omnes, sed inter aliquos, iam
novi effecti zelatores fidei pro tutanda ecclesia Romana peregistis.
Iam terciam aliqui vestrum inceperunt, quatenus pace fruantur nul- 221
las partes foventes. Ut te motu pontificis proprio bello prefectum 222
credamus, multis persuasionibus opus est. Astu exquisitissimo ab 223
omnibus tuis complicibus sigilla accepisti, uti litteras omnium no-
mine, aliis tamen ignorantibus, ad explendam tue mentis super-
biam ad sedem apostolicam ceterasque partes pro tue voluntatis
beneplacito mittas. Transiit Dobrohostus Ramsberg; quid egerit, 224
patet curie. Quid ille tuus plus quam doctor apostatarum Helias, 225
quid prior inbenignus sancte Benigne, quid frater Iohannes Ca-
danensis aliorumque nullius auctoritatis hominum turba fecerit, cre-
do non omnium assensum intercessisse. Sed extant, fateor, omnium 226
sigilla, quia in tua extant potestate!

ZDENKO: Nisi paciencie virtus me contineret et orbum ro- 227
bore infirmumque corpus tuum disuaderet, quid Zdenkonis valeat
manus, sentires, Wilhelme! Aut enim hec duelli racione preliaren- 228
tur, aut tuo ore contuso, quid loquendum post in viros nobiles et
fortes foret, te perdocerem. Sed nolo sit michi cum garrulo accio, 229
qui cicade more nil nisi vociferat.
WILHELMUS: Irascitur. Veritas odium parit. 230
ZDENKO: Age, pro tua, uti vis, stoliditate armis rem exequemur! 231
RABENSTEINENSIS: Deum testor me omnium fidelium ca- 232
tholicorum profectum summopere desiderare. Sed causari ex hoc 233
plerosque nobiles et principes exteros intellexi absque eorum con-
silio et voluntate rem inchoatam, apud quos nec illius revelacionis
secreti timor, uti superius dixistis, extitit; idemtidem viris catho-
licis displicet Bohemie baronibus. In consillo omnium communi pre- 234
bendo secundum iuris normam, si unus spernitur, multum multum-
que assistenciam ceterorum distractam facimus. Ante rerum con- 235
clusionem, advocatam concionem fidelium maluissem teque ex
communi consilio imperatorem, quem vulgus nominat capitaneum,
declaratum fuisse.
ZDENKO: De re preterita, ut irrecuperabili, verba facere vanum 236
esse Aristotilem affirmantem audivi rerumque experiencia magistra
docemur. Cause iam incepte bonum finem divinum dabit adiutorium. 237
WILHELMUS: Siccine ad te contrahes catholicorum multitu- 238
dinem, quatenus apud te concludat pro racione voluntas?
ZDENKO: Vestrum est obedire, si catholici appellari et esse 239
desideratis, domini nostri sanctissimi precipere. Nec olla dicit olli-
fici: Cur me ita plasmasti? Quam brevissime conspicietis sere- 240
nissimum dominum imperatorem Romanum et regem Ungarie ac
imperii sacri principes valido cum exercitu nobis et fidei adiuto-
rium in hoc regno prestantes.
SSWAMBERGENSIS: Quid dicit Zdenko, mi Iohannes? Intra- 241
bit in destruccionem nostram tanta multitudo gencium exterarum?
Omnem certe rusticorum turbam enervabunt, agros depopulabun- 242
tur, predam infinitam colligent, ab amicis et inimicis victum neces-
sario fame compellente exigent; que an belli summam concludent
hostiumque munitissima loca, arces, castella, opida an per hoc
capientur, michi nondum notum extat.
RABENSTEINENSIS: Palam loqui volo, ne per nostram ta- 243
citam susurracionem aliis fastidium et suspicionem generemus.
Interrogor, viri optimi, a nostro Sswambergensi, utrumne illi quos 244
nominat exercitus Zdenko sint venturi. Hanc enim famam dudum 245
divulgatam esse cognosco, que ut realem effectum sorciatur, do-
minus noster sanctissimus summopere laborat. Eas ob res regnum 246
hoc occupanti concessum, prede expositum est. Sed illa privati 247
belli conclusione, consilio eorum non accito, principes plurimum
distrahentur. Odia rancorque intimus ipsorum eos patria exire non 248
permittit: quilibet sue pertimescit patrie. Pape Martini tempora 249
ante oculos, si libet, ponamus! Crux contra hereticos predicata,

indulgencie concesse fuerunt, intravit exercitus cruce signatus, prin-
cipum potenti adiutus manu, cum quibus et apostolice sedis le-
gatus; qui omnes in ludibrium fidei catholice partim spoliati, fu-
gati et necati sunt, fauste et feliciter sibi consultum existimantes,
si in fugam se suaque dedant. Rex Ungarie Mathias omnes ca- 250
tholicos Bohemos suam in specialem proteccionem suscepit, sed
in litteris suis tacite clausule facilesque latent evasiones, quemad-
modum diligenter perlegenti apparet. Turcum hostem crucis et 251
potentissimum et atrocissimum non mediocriter pertimescit. Multas 252
expensas, multas superiori anno idem rex fecit impensas; id fa-
temur quidem. Pauca tamen fidei extat utilitas: catholicos destructos 253
aspicimus. Iam tepet, quoniam Hungarus est; Hunorum autem que
virtus, que constancia, que fides, que presertim contra Bohemum
victoria semper extiterit, vos ipsi iudicate! 'Sed auro subveniet'. 254
Nec aurum proicere Hungaros videmus nec, etsi regnum venis auri 255
non deficiat, rex tamen auro habundat. Polonorum princeps iam 256
a Prutenis exhaustus et summe debilitatus quiescit et cum Geor-
gio propter tacitum nescio quid paciscitur. Romanorum imperator 257
seu induperator nondum somno excitus est; patres sui conscripti
semper circumscribi bello et armis a vilissimis eciam latrunculis
consueverunt. Unde si convenient vel non venient, divinum esse 258
arbitror iudicium; me in diversa trahit animus.

ZDENKO: His periculis omnibus viam precludemus; quate- 259
nus eis iter pateat expeditum, commeatus procurabuntur ceteraque
omni cum diligencia curabuntur.

WILHELMUS: Veniant, veniant: non adhuc causam licet in 260
victoriam ponere; male inceptum vix bono concludetur fine.

SSWAMBERGENSIS: Michi certe persuasum est difficilem 261
eorum ad intrandum concordiam. Si intrabunt, damna facient, vic- 262
toria autem in manu Dei est. Nam sepe Dei permissione et pauci 263
et mali bonos et multos vincunt, uti libros Iudeorum regum le-
genti et penthatheucon Moysi plerisque apparet in locis.

RABENSTEINENSIS: Pro utilitate communi — pace tua, Zden- 264
ko — dicam unum verbum. Detur modus, ut tu affirmas, quatenus 265
omnes electores, omnes principes imperii cum suo intrent Bohe-
miam imperatore; veniant Ungari, Poloni, Wandali, Sicambri, Itali
et si lubet Gallifranci cum Anglis et Hibernicis. Quanto plures 266
convenient, iam agris vastatis per vos, cicius necessario exibunt.
Ubi enim tante multitudinis pabulum agris desertis, ubi commea- 267
tus villis in ruinam positis? Hec omnia in loca forcia castellaque 268
munita comportata sunt, vallis loca circumdata firmissime, que Ge-
orgii fovent partes; vi illa accipere non unius diei, non unius anni,
eciam si ultra Christianos Turcos accersias, sed plurium estatum
labor extat. Post enim urbem regiam Pragam Georgio in sola Bo- 269
hemia sex et quadraginta bene munita extant opida; post arcem
Pragensem duo et septuaginta fortissima montana habet castella,
fortaliciis vallo, fossa, aquis inmunitis plerisque non numeratis.
Uniusne anni expugnacio horum opus est? Plurium certe neces- 270

sario confitebitur, qui animos, robur fortitudinemque Bohemorum
cognoscit. Adde, quod unum ex his vix unus accipit annus. Agris 271
ergo iam vastatis, annona in munitis existente locis, aut tantus
exercitus vincat municiones, quod perdifficillimum, quinymmo parvo
in tempore impossibile est, aut aliis ex provinciis adiacentibus
commeatum habeat — et illis Bohemia victum solet dare —, aut
ultimo, quod ridiculum pariet sancte matri ecclesie, more trans-
fugarum ab incepto discedat. Quod, si utilitati, honori et commodo 272
cedet fidei catholice, tu, Zdenko, discerne!

ZDENKO: Prelatus ecclesie non mediocris dignitatis existis: 273
eas ob res sentencia pontificis summi aliter meliusque per te foret
comprobanda; que idcirco loquor, quoniam tuam dignitatem ob
amiciciam maiorum tuorum periclitari nollem. Usque modo nescio 274
quid musitando in medio extas et nec nobis adiutorium, nec here-
ticis resistenciam facis. Iam dudum tu una cum Sswambergensi 275
coram legato apostolico accusatus es vos hereticis commeatum salis
ceterorumque non prohibere, dietasque nescio quas cum hereticis
facere. Ideo te presertim, Rabensteinensis, in virtute amicicie hortor 276
et moneo, ne post vias Wilhelmi vester existat transitus. Vestras 277
enim dignitates ecclesiasticas, in quibus positi estis, nemo nostrum
ignorat. Dimittite ergo neutralitatem illam et nobiscum pro fidei 278
confirmacione vos unire, quemadmodum mandatum apostolicum
est, non desistatis!

SSWAMBERGENSIS: Nunquam sentencia alia meo insedit 279
pectori, postquam ad hoc officium selectus sum, nisi quatenus
precepta sedis apostolice nostra pro virili impleantur. Sed mani- 280
festa sunt, que proxime noster Iohannes limata sua et tersa locu-
tus est oracione. Castellum quoque nostre religionis multa per in- 281
commoda ab infidelium hucusque servatum extitit occupacione ta-
lique loco situm est, ut michi multa, ego nulla infidelibus damna
possim afferre. Cum ergo vobis nil prodesse possim, michi multi 282
possint obesse, nescio, cur michi damnum favetis? Sal hostibus 283
non do, pro concordia nulla cum iis laboro. Pax a me diligitur, 284
quam vos summopere execramini; obtrectaciones, quas in nos
proicitis, qui talia dicunt, fingere nituntur. Hoc in causa mea dic- 285
tum esse volo. Rabensteinensis vero amplius ampliusque verita-
tis verba faciet, cui et raciones in veritate confirmanda summas
et verborum copiam non deesse minime dubito.

RABENSTEINENSIS: Omni cum animi moderacione his in 286
tempestatibus me gessi, sed iam superiorem Wilhelmi veram vi-
deo oracionem, illum vestrum hostem, illum inimicum et unitatis,
uti vos asseritis, destructorem, qui pacem. unitatem inducere la-
borat. Verba mea ita mediocria esse volui, itaque semper Dei 287
cum adiutorio moderatus sum, ut nec sanctissimi domini nostri,
sedis apostolice, dignitati quidquam derogem, ita, ut plane nescio,
quas ob res mea sit dignitatas in periculo constituta. Sunt ple- 288
rique, qui maledicentes nulla mendacia committunt, quibus cum Se-
neca facile respondetur: Male loquuntur, qui bene loqui nesciunt.

Senciant ergo de me, quidquid volunt; id nobis auri et argenti 289
copia carius existat, quod coram Altissimo his in factis nulla mala consciencia condemnor, quod, exquo nostro satis erat Augustino, et michi iuris merito sufficiet. Nos in bella inducere vultis, 290
quos summa egestas impedimentorum omnium impedit, nec inermes nos prelia committere divina suadet auctoritas. Nulli nobis 291
extant milites, nec quibus ex locis delectus ob eris carenciam haberi possit, scire possumus. Et si aliis gentibus presidia tradun- 292
tur nostrarum municionum, cur meam proiciam? Nemo dat ra- 293
cionem, sed dicitis: 'Facient fideliter et presidia vobis obedient, aut post bellum iam peractum in pace tibi municionem tuam restituemus'. Pulcer sermo est, nec vestram fidem reicio; sed fe- 294
lices sumus, qui alienis periculis cauti reddimur. Videmus prodi- 295
ciones innumeras, dispensaciones ab obligacione promissi conspiciuntur; illum rerum suarum moderatorem et arbitrum iudico, qui sub sera fideli aut in concluso palmo sua possidet. Rudni- 296
censes presidia vestra susceperunt, et ecce de libertate, uti clamor eorum quotidianus manifestat, in summam servitutem sunt redacti. Nos nullibi annonam, nullam predam, nullum pabulum ex hostium 297
bonis ad castellum nostrum reportare possumus, et si que eorum propinque ville existunt, omnia ante per vos iam sunt occupata, ut bene cum Sswambergensi amicissimo meo dicere possim: Cur meum damnum, vestram nullam utilitatem habere vultis? Sal 298
nunquam in loca prohibita ducere permisi; unius testis citati iurati ac cum excepcione maioris contra me accipiam testimonium: deponat, penas mox luendas michi non abnuam. Federis trans- 299
igendi cum hostibus nullus michi labor fuit. Hoc tamen unum 300
est, in quo plurimum admiror: Si Georgius una cum familia sua fidem velit suscipere catholicam mandatisque apostolice sedis obedire non rennuat iuratoria vel obsidum data caucione, cur, exquo pro fide bellum geri iactatur, is non suscipitur, presertim si sue promissioni mox in suscepcione sacramentorum more Romane ecclesie satisfecerit et alia omnia reddat emendata?

SSWAMBERGENSIS: Ab uno viro claro partis ecclesie su- 301
perioribus diebus accepi iure cautum esse eum ultra non suscipiendum, qui in abiuratam recidit heresim, sed curie seculari condemnatum uti puniatur tradendum.

RABENSTEINENSIS: Optime dicis, et hoc cautum esse non 302
negamus, et post abiuracionem Georgium in heresim recidisse plerique affirmant. Sed tempora, loca, persone, pericula rerum, 303
multitudo populi rigorem iuris in utriusque legis censura suadent temperare; nec credo pontificem summum id abnuere, coram id ex pontifice me audiente ex tribus unum necessario fiendum: vel sedem apostolicam destrui oportere vel Georgium expellendum vel bonum catholicum futurum. Verum enimvero consulcius foret, 304
mandatis secundum pontificis summi sentenciam si Georgius satisfaceret, quam tot cladibus regnum istud nobile et potentissimum in risum lingue Bohemorum involvatur.

ZDENKO: Vos id expeditum reddite cum pontifice summo; 305
que dixi, mutue causa amicicie, non calumniandi causa dictum
esse volo. Si auxilia externa regum et principum, quemadmodum 306
spero, habebimus, et illud optimum est; sin minus, prohibito com-
meatu salis et aliarum rerum per longum belli spacium heretici fau-
tores et dux eorum Georgius adiuvante Deo pessumdabuntur.
WIHELMUS: Videte pertinaciam in homine, ut nullam ac- 307
cipiat racionis persuasionem! Incassum laboras, Rabensteinensis! 308
Unitatem summo persequitur odio, nec de pace cum eo verbum
fiat ullum. Omnem spem in armis ponit et in furore spiritus sui, 309
ac si adamantinum ipse ceterique terrestre et humanum possideant
corpus. Gladio confidentes gladio feriuntur. 310
ZDENKO: Si pertinax es, tu videto; ego sine quavis arro- 311
gancia fortis et constans iure meritoque appellandus sum. Quem 312
minaris exitum, acta probabunt.
SSWAMBERGENSIS: Abiciamus conquestiones! De illo con- 313
stet, per quem modum heresis prohibito commeatu destrui pot-
est; ego pro explorato persuasum teneo parum ad occupandas
municiones Georgii et adiutorum hanc proficere viam.
ZDENKO: Siccine existimas? Ergo et famem rem futilem ad 314
expugnandum dices?
RABENSTEINENSIS: Inconvenienti uteris sillogismo. Hec, que 315
conaris, etsi tibi centum manus totidemque pedes supersint, fer-
reus animus, minime poteris prohibere. Omnes oras confinium 316
penes Bohemiam frumento, adipe, pinguedine in Bohemia collec-
tis vivere oportet, quibus rebus commutacionis titulo sal, quo
solum ad victum necessario egent, et cetera Bohemi facile ac-
quirunt; et facient certe, quoniam absque frumento ille vulgaris
Bohemie vicinus populus enervatur. Et si vis intellectum obsti- 317
natum non habere, o Zdenko, meliorem racionem audi! Multos 318
ipsi vestros captivos habent, et vos habetis, fateor; si tamen ex-
trema venerit egestas salis, pro captivorum redempcione sal suffi-
ciens eis vos oportet ministretis. Veluti palam notum est, non sal 319
solum, sed piper, crocum aliaque transmarina captivi et deditícii
iis hucusque subministrarunt. Pflug a Glatoviensibus captus mille 320
persolvit magnas mensuras salis; villas, ne incendio pereant, om-
nem eis oportunitatem commeatuum solvere compellunt. Quid ergo 321
egistis, considerate! Prius communitates opidorum sal emebant,
nunc per exacciones gratis habent, et tanta caristia salis in ru-
sticos redundat. 'Sed prohibebimus', dicetis, 'hominibus nostris, 322
ne talia eis solvantur.' Audio verba lubens, que nunquam in ef- 323
fectum consumatura credo. Iob tibi testis citabitur: Pellem pro 324
pelle et omnia, que habet homo, dabit pro salute sua. Quoad 325
bellum durat, michi credite, incertum semper ludit alea fati: nunc
vincent, nunc vincentur, et vobis idemtidem continget. Victorie 326
enim preliorum particularium nil nisi quoddam mutuum est ac-
ceptorium. Committatur pugna generalis, exquo de fide agitur, in 327
qua eis credunt salutem positam sempiternam, omnibus viribus

resistent. Si victoria pocientur, in quos fines seculorum deveni- 328
stis, cogitate! Si vincetis, quemadmodum et speratis et optatis,
municionibus per eos habitis, exercituque ex agrestibus, quemad-
modum facile possunt — et idem prius fecerunt —, reintegrato,
in priori consistimus certamine. De qua tamen victoria, cui fors 329
Deusque summus dabit, incertum est. Omnipotens interdum, ut 330
magis mereantur, punit iustos, impios exaltat, ut maius pro sce-
leribus supplicium habeant. Dicam ergo, dicam et dicam absque 331
quovis terrore hanc in intestini attentatam salis opinionem.

ZDENKO: Quid ergo? Permittemus durare hanc damnatam 332
heresim et nunquam principium arripiendum destruccionis est?

RABENSTEINENSIS: Absit, sed alter erat per vos, si cum 333
innocencia processum fuisset, attentandus modus, et nunc, si in-
tellectum habere vultis, aliud iter necessario aggrediendum est.

SSWAMBERGENSIS: Verum loqueris, nam et dominus et 334
pater meus — et quid dico meus? tuus ymmo et noster — epi-
scopus Wratislaviensis, vir prudencie egregie, idemtidem post iam
rem inceptam et ante sepe sepiusque consulebat.

RABENSTEINENSIS: Et bene novi hominem, novi pruden-
ciam eius.

ZDENKO: Nec ignoravi ego eius et mentem et opinionem. 336
Quot capita, tot sensus, nec voto unitur uno; stat suum cuique
velle. Diversam ergo et magis fidei placentem sentenciam conclusi. 337

WILHELMUS: Non opus est dicto; me non fugit te ab omni 338
pacem diligente diverse esse opinionis, et non immerito: pax te
faciet privatum, nobis similem baronem, cum in bello in ungues
sub fidei specie attolleris, ultra id, quod es, temet ipsum ele-
vando. Vide, ne perdas, quid es, dum queris id, quod habere non 339
potes, veluti iam pridem incepisti!

ZDENKO: Magis tibi conveniret, Wilhelme, ut digitum ori 340
apponens taceas; nos tuis nugis reiectis in fide catholica perse-
verare volumus et ex mandato apostolico tam censuris ecclesia-
sticis, quam manu armata ad insurgendum contra archihereticum
Georgium omnes eciam nolentes insurgere compellemus. Quomo- 341
do enim equo animo id paciendum sit, investigare non possum,
ut nobis dominicum bellum gerentibus alii, qui ad idemtidem
tenentur, subsannando irrideant.

SSWAMBERGENSIS: Ergo omnis, qui eciam ab obediencia 342
Georgii recedens pacem tenet, per vos armis aggredietur? Sic- 343
que efficietis, ut ille, qui pacem diligendo neminem offendit, a
vobis compulsus contra vos insurgere compellatur, et per hunc
modum plerique vobis hostes fient!

ZDENKO: Nos sic agemus, uti dixi. Noster hostis et fidei 344
hostis declarabitur. Nam qui nobiscum non est, contra nos est.

SSWAMBERGENSIS: Mei foret consilii persuasione et bona 345
voluntate homines ad vos adducere, quemadmodum sapientes et
pollicitacionibus et sponsionibus id faciunt. Aliter tua dura cer- 346
vix duriorem eque et superbam reperiet, quod iam in nonnullis

catholicis ostensum est, qui a vobis repulsi se suaque tutantes
Georgio adherent, nec per hoc heretici, quinymmo a pluribus ca-
tholici habentur et appellantur.
RABENSTEINENSIS: Hem, res miranda! Id, quod proban- 347
dum est, semper pro concluso Zdenko narrat: fidei bello se
prepositum dicit, quod iam diu narratum, nondum probatum ac-
cepimus. Nec scio, qua auctoritate id fieri potest, ut quis ad 348
bellum damno suo eciam contra hereticos et infideles compella-
tur. Iuris normam confiteor esse hereticorum dominum per eccle- 349
siam compelli posse, hereticos ut expellat, sed ob populum mul-
tum, ob periculum maximum, uti prediximus, alia utimur racione.
ZDENKO: Assistencia catholicorum, credo, nugis Wilhelmi 350
est preponenda, qui omnes pari voce christianorum catholicorum
ducem in hoc facto me profitentur. Vos sentite, quod lubet! Sed 351
ignoras ergo tu, quem doctum existimamus, papam imperatores
regesque ungere, coronare et degradare posse, cum omnis regia
potestas a domino Deo sit, cuius vicarium terrestrem pontificem
Romanum quilibet confitetur catholicus? A depositorum principum
fidelitate vasallos et subditos absolvere et absolutos a iuramentis
denunciare potest. Bellum generale cum diffidacione publica contra 353
damnatum Georgium indictum est, indulgencie criminum maxime
date. Queris ergone aliud, cum ea et scire et aliis notificare debeas? 354
RABENSTEINENSIS: Non ignoro ea, que dicis, et dudum 355
hec per me visa et subtili racione ponderata fuere. Sic contra 356
Fridericum Primum et Secundum, sic contra Ludovicum, sic eciam
contra nonnullos reges processit Anglie. Hoc decisum, hoc iure 357
canonico firmatum nemo dubitat. Tenebuntur ergo canones et sub
pena peccati tenebuntur mortalis. Si tamen cum quovis erudito 358
causa disputacionis et exercicii, non affirmando nec a decisione
sedis Romane recedendo, disputandum foret, alcius pauco pro-
fundiusque rem scrutaremur et multa in medium adducere pos-
semus. Quid ille, quid egregius Accursius ceterique iuris legalis 359
consulti quid responderent, facile constaret. Sed quoniam cedit 360
racio auctoritati legesque sacros canones non dedignantur ymitari,
hoc sic esse, veluti debemus, confitemur. Que autem ex omni 361
illo iterato facto bona evenerint, Sigibertum historiographum ve-
ridicum consulere potes, noviter papam dicentem istam auctori-
tatem sibi usurpasse, ob quod maxima bella, clades et primum
pessima in ecclesia Dei venit dissidio. Hoc sic perpetratum in 362
Fridericis et Ludovicis dudum esse ex annalibus constat. Hec de- 363
posicio Georgii ab aliis prioribus si degenerabit, audiam et intue-
bor lubens; sed vereor, veluti hucusque conspicimus, ne una cum
prioribus penas scelerum nostrorum luamus. Et, si placet, mox 364
aliqua subiciam, que tui, quos tu iurisconsultos existimas, hucus-
que forte tacuerunt.
ZDENKO: Multa potes dicere; a nobis accipiuntur, que vo- 365
lumus. Hoc unum scio et firmum teneo bellum generale et diffi-
dacionem non solum contra Georgium, sed omnes adiutores, fau-

tores et hereticos emanasse, mandaturque omnibus, ut bello pa-
rati se accingant. Ordire tamen et dic, que libet! 366
SSWAMBERGENSIS: Nil nocumento esse potest, quamvis 367
tuo in consilio multi existant iurisconsulti, ut nos saltem, qui iu-
risconsultis caremus, intelligamus.
RABENSTEINENSIS: Promissis satisfaciam. Hoc tamen pre- 368
testatum esse volo nil me asserendo contrarium sedi apostolice
dicturum. Bellum contra hereticos indicere potest clave non errante 369
ecclesia, nemo dubitat, indictumque bellum per imperatorem Ro-
manum prosequi, cui idcirco gladium datum esse scimus, ut
tanquam tutor, protector et patronus ecclesie existat Romane.
Ideo tot terrarum terminos sibi domino Iesu Christo obtinet lar- 370
giente per id, quod in evangelio dixit: Reddite ergo, que sunt
cesaris, cesari et que sunt Dei, Deo! Imperatore negligente eadem 371
potestas ergo et onus apud Romanum extat pontificem. Quo iure 372
negligencie multe optimarum civitatum colonie ab Imperio preser-
tim post Friderici vacacionem ad ecclesiam defecerunt Romanam.
Cum ergo noster imperator summam hucusque non omiserit com- 373
mittere negligenciam et ecclesia fere tota sua iam utatur potestate
magnamque possideat iam imperii partem — Bononiam, Perusiam
civitatem, archatum Ravenne; Senarumque civitas nomen imperato-
rie urbis retinens papam pre aliis eciam in temporalibus veretur,
Rudolffus Romanorum rex et alii ecclesie multa largiti sunt, pon-
tifexque summus Venetorum maximam et potentissimam com-
munitatem, velut ipsi asserunt, ab imperiali in perpetuum absolvit
obediencia, Avinione quoque Gallorum civitas, que nunquam in
donacione Constantiniana comprehensa est, pontificio iuri sub-
dita est —: eas ob res dominio iam temporali inter imperatorem
et ecclesiam partito, sumptibus, laboribus et expensis communi-
bus bella contra hereses agi debent. Nec probabit vester, quem 374
vos veluti Deum colebatis, Hilarius ignarus Pragensis decanus,
iam perquam subita morte absumptus, aut omnis tuorum vulgaris
iurisconsultorum turba, quibus bene fausteque consultum foret,
si unum doctorem valere possent, ad hoc privatas teneri perso-
nas sub precepto pontificis, ut sumptibus, ut laboribus, ut sudo-
ribus suis sub pena peccati mortalis et interdicti ac excommuni-
cacionis agant bella contra quoscunque sedi apostolice inobedi-
entes. Bellum tale voluntarium suadetur; imperari non potest. 375
Vidistisne umquam crucem contra heresim vel infideles suscipi 376
ex precepto? Sed predicatores persuadent, merita et indulgencias
enarrant, et sic nonnulli zelo pietatis ducti bellum se inituros per
se vel per alios devovent, alii consilium non suscipientes salvan-
tur tamen. Si hoc preciperet ecclesia nosque implere sub pena 377
peccati teneremur mortalis, non maius meritum illud implens ha-
beret, ac si non adulterando, non furando assequeretur. Nulla 378
enim libertas, ubi necessitas implendi; sed quoniam mere volun-
tarium, idcirco plures indulgencie quam non superbientibus, non
invidentibusque promittuntur. Et si precepti hoc fieret bellum, er- 379

go ubicunque cruce predicata eam non suscipiens damnaretur. Quot autem coniugatos virginitatem non suscipere, quot virgines 380
et continentes monachalem habitum non accipere omniaque non vendere et pauperibus non dare conspicimus? Quot vitam iustam 381
in domibus suis degunt, contra infideles et hereticos, quibus eciam bene suppetit res familiaris, non accinguntur? Omnes 382
hii, si talia sunt precepti, excommunicati, omnes damnati et suspecti de peccatis maximis secundum vos iudicabuntur! Absit tan- 383
tum errorem in ecclesiam Dei ponamus! Ut ideo iusti, continentes, vidue et coniugati virginesque Dei peccatis innocentes, ita qui aut bellum iustum faciunt aut in pace unitatem amplexantur, omnes salvantur omnesque regnum celeste istos nancisci credimus. Nec 384
tante necessitatis, etsi maximi meriti, crux existit, ut nullum salvatum nisi cruce accepta belloque inito contra infideles existimetur. Interdicta ergo pacificis, non hereticorum fautoribus, qui ab obediencia recesserunt, ignoro, quare ponantur. Quid tui docent, Zdenko? Ego nescio; forte alios condunt canones, alias fidei dant 386
regulas, quas nos rerum illarum ignari intelligere desideramus, Nam aut verum ignoratur aut scientes falsum predicare non ve- 387
rentur. Quibus si veritas nota est nec illam faciunt nec facientibus 388
vera innotescunt, secundum evangelicam doctrinam plagis multis vapulabunt.

SSWAMBERGENSIS: Intellexi hanc totam longa auctoritate 389
fundatam oracionem. Sed demiror, exquo illis, quibus expensa, 390
copia, res familiaris, sumptus copieque militum suppetunt, bellum hoc non imperatur, sed suaderi potest, quare nobis, quibus horum nil est, tot mandantur, cum tamen ex nostro bello nil nisi nostra destruccio sequi potest.

WILHELMUS: His facilem responsionem iudico. Nos cecos 391
facere volentes alia dicunt, et alia intuemur. Non que Iesu Chri- 392
sti et sponse sue ecclesie sancte, sed que sua sunt, querentes, iam ex presumptuositatis sue malicia multa perdiderunt. Idcirco 393
his, qui aliquid habent, invidentes, eorum bona in pulverem redigi vellent nec de lucro aut damno tuo querunt, dummodo voluntas eorum impleatur.

SSWAMBERGENSIS: Multi id, quod dicis, testantur; quod 394
si tamen veritati innixum est, nondum satis persuasum teneo. Hoc 395
unum eciam addere ex relatu placet. Si aliquis partes eorum adiuvans castellum aut municionem perdit in manus hostium, cum iure belli revertitur in dicionem ipsorum, idem possessori reddere contradicunt, ex hoste predam quesitam dicentes. Tali auxi- 396
lio male ad se adiutores attrahent. Perdidi, spem in sociis pono: at illi sibi tanquam ex hostibus captum servare volunt.

RABENSTEINENSIS: Factum narras; in Frunstinensi castello 397
testimonium habes, sed iura postliminii parum retardantur.

WILHELMUS: Iuris gencium auctoritas et hec summe auc- 398
toritatis, uti audio, apud celeberrimos iurisconsultos extat, quo iure dominia esse distincta dicuntur. Et tamen absque diffidaci- 399

one Popel Rosenbergense castellum sibi cum pacto retrovendendi
datum perdidit, et cum in reformacione imperiali certa ante bel-
lum inceptum ad diffidandum data sunt tempora, gentes armi-
gere Zdenkonis et Iohannis Rosenbergensis iam in arce prodito-
rie existentes possessori demum legittimo diffidarunt.
RABENSTEINENSIS: Hoc dictu nephas et apud infideles est. 400
Ideo, quid asseras tu, considera! Verum enimvero hereticorum 401
omnia bona confiscata sunt, contra quos eciam papa aut impe-
rator Romanus diffidacionem publicam dare possunt. Sed si con- 402
sideramus normam et formam diffidandi a iure civili inventam,
equitatem autem illam, ob quam diffidacio est reperta, tum a iure
naturali tum a iure gencium esse progressam (iure gencium equi-
tas suadet, ut nemini suum auferatur; naturali iure defensio per-
sone proprie cuilibet conceditur): sublatis his, que ius civile re-
perit, per quem modum ea, que iuris naturalis et gencium ex fun-
dameto consistunt, eciam pontifex summus aut princeps secula-
ris tollerę possit, nescio unde iuris istam acceperunt censuram.
Etsi auctoritate suprema principis diffidacio contra hereticos pu- 403
blicata est et per id mandato iuris satisfactum creditur, tamen con-
suetudo laudabilis in iure gencium et naturali fundata, quam his
in regionibus pro incommutabili semper ob summam fidem con-
servant, que eciam quemadmodum in promissa hosti captivitate
etc. striccius quam iura fidem et observacionem promissi inter-
pretatur, hec vult neminem absque diffidacione aggrediendum.
Illa in publica diffidacione ea, que statuti, consuetudinis et sic 404
per consequens facti existunt, pontifex Romanus non tollit. Eas
ob res an iure faciunt, ipsi iudicent. Ius concedit prestanti iura- 405
mentum ob iustum metum non servandum; consuetudo Bohemo-
rum promissi tenacissima illud conclusum habet, ut si simplicis
stipulacionis promisso alteri quid promiseris et ex facto mortem
tibi certam esse non ignoras, Marci more Reguli ut promissis
satisfacias, gladiis, fustibus contisque peracutis te obicere debe-
as. Quod Romani in uno Marco Regulo mirabantur, hac virtute 406
totum genus Bohemorum magnaque pars aliorum Germanorum
prepollet. Bene igitur fieret, Zdenko, ut qui bellum dominicum 407
vos agere dicitis, virtus hec a vobis non degeneraretur. Hoc ergo
in hereticis dictum esse arbitror Popel catholicus semper exti- 408
tit, pacem diligebat et in carceres est coniectus; nunquam here-
ticis favit, quamvis iam in eum quasi mortuum, quia capite de-
minutus carceratusque est, multa conici possunt. Sed si res ita 409
se habet, quemadmodum noster dixit Wilhelmus, multo atramen-
to, multa cartha, non mediocrique eloquencia opus est, hoc in Po-
pel factum ut ad bonam, ut ita dicam, limam tersamque virtutis
viam redigi possit
ZDENKO: Multis verbis paucis respondeo. Apud Romanum 410
pontificem est pro racione voluntas. Hec argumenta illis relinquo, 411
qui plus, quam oportet, sapere volunt. Nostra facta multorum ob- 412
trectacioni exposita esse non ignoramus; odiunt, cum metuant. Ego 413

et Iohannes Rosenbergensis obediencie satisfecimus. Sed ad te 414
nunc michi sermo est, Rabensteinensis Iohannes! Magnum tem-
pus vite tue in litteris consumpsisti et non dubito, si sedi aposto-
lice recte officia prestes, licet iam in non mediocri extes digni-
tate positus, te ad maiora longe ascensurum. His autem verbis, 415
que in dies contra mentem profers pontificis, dum curiam ad Ro-
manam defertur, omnem spem, timeo, dignitatis perdes. Eas ob 416
res adhuc tibi tanquam amico consulo, ut ab his verbis desistas,
et maioribus eam provinciam commissam fac!

WILHELMUS: Iam mox respondebis, Iohannes, audi me pa- 417
rumper! Tacere statueram; sed cum ea, que dudum negata, iam 418
erumpere video, nullo modo a verbis iam compesci possum. Zden- 419
ko negavit ob fastum glorie humane hoc inceptum bellum civile
et plus quam civile, in destruccionem patrie truculentum et atrox;
et iam tibi consilio subvenit, quatenus dignitatem magis tuam
presentem et futuram, quam patriam, quam veritatem, quam bonum
publicum tuearis.

ZDENKO: Nichil michi tecum accionis est. Cum amico loquor; 420
ipse respondeat. Tu, loripes et verborum inops, alios incursa et 421
eloquencia semper pro tua incredibili audacia superare coneris!

RABENSTEINENSIS: Gentis nostre patrieque amor summus 422
est, adeo, ut maiores Romani sese pro patria devovere non dubita-
rint. Hoc in Deciorum familia quasi gentile et familiare fuit. Ipsa 423
enim patria nos educat, moribus bonis inbuit, et ad esse, quod po- 424
stea querimus, patria inducit. Parentes dant esse, patri patria; ma- 425
gister dat bene esse, magistro patria. Quam sic fede, sic crude- 426
liter dilacerari, estne aliquis sane mentis, qui equo animo ferre pos-
sit? Sunt, fateor, plerique viri, maximi auctores et coadiutores harum 427
rerum, sed passionibus corrupti, quorum intellectus obfuscatus est,
et nesciunt nec volunt discernere verum. Sunt alii ex patria geniti, 428
sed ignobiles, pauperes deiectique, qui patrie dulcedinem parum
sunt experti; et hii malunt everti et in rupta ac destructa aliquid pos-
sidere, in qua prius bene culta, bene opipara nil possidere poterant.
Exteri vicini, quibus Bohemorum potencia semper formidabilis est, 429
Bohemiam submersam in profundum abissi parum est quod certent,
nilque bonus status Bohemorum cure extat remotis exteris, Hispanis,
Gallis, Italis, Czimbris, Flandris aut Renensibus, dummodo aut epi-
scopatu aut bene suffarcinata abbacia aut aliqua quavis seculari
aut spirituali dignitate ob sua, quemadmodum ipsi existimant, egre-
gie gesta facinora hic vel alibi premineant; quibus cum Platone illic
patria, non ubi bene, sed ubi pinguis fumat culina. Nostra autem alia
longe condicio est. Nos hic geniti, educati, parentum in sepulchris, 430
que a nobis crebro conspiciuntur tumulando, non omnino paupe-
res, degeneres, ignavi aut ignobiles, non passionibus victi nec colirio
malo obliniti, quin possimus discernere verum, patriam distrahi,
enervari, corrumpi incendio, latrociniis, moneta iniqua et falsa de-
strui non est quomodo nobis pacienter ferre consulamus. Et si mo- 431
dus talis extirpande heresis foret necessarius, et hunc suscipere non

abnueremus; sed cum aliam pre manibus viam sine igne et clade ha-
beatis, timeo, vestri successores et nati et qui nascentur ab eis, hu-
ius destrccionis penas sustinebunt. Nil est igitur, quo veritatem oc- 432
cultare pro maxima eciam dignitate aut possim aut timeam.
SSWAMBERGENSIS: Veritatem libere loquendam semper a 433
nostris maioribus percepi; assentatorum mos, qui a nostro Iohan-
ne, scio, remotus existit, veritatem pro commodo adipiscendo oc-
cultam reddere, quod eodem scelere, veluti falsum dicere, con-
demnat Scripture auctoritas.
ZDENKO: Nil contra veritatem me facere existimo. Sin autem 434
vobis aliquod pro utilitate publica bonum consilium inest, bene
rebus consulite, et nos, dummodo pontifex assenciat summus, pa-
rebimus.
WILHELMUS: In origine belli sic tibi loqui conveniebat. Pon- 435
tifex, scio, Romanus omne phas licitumque susciperet, dummodo
vestra malivola verba cum spe falsa persuasionis eum in aliam
non trahant provinciam.
RABENSTEINENSIS: De hac loquor veritate, quam tibi su- 436
perius dicere inceperam, at tu succensere iam volebas, et exquo
iam perquiris, ad hoc parumper attingam. Alter modus heresis ex- 437
pellende, non ignis et gladii erat attemptandus, per quem regnum
nostrum inclitum Bohemorum nobilemque gentis huius genealo-
giam non sic pessumdari obtingat. Iusticia cum equitate temperanda 438
erat. Nam etsi strictissima existat iusticia, non est equum iustum
perire cum impio; sed si triginta, sed si viginti, sed si decem So-
domis iustos reperisset antiquitus, nunquam tantam cladem in ur-
bem illam permisisset Altissimus. Quot igitur iusti et sancti hoc 439
in bello destruuntur homines? Non paucorum christianissimorum 440
res familiaris enervatur, rumpitur et annichilatur; non ab hostibus
solum, qui nemini in pace stanti nocent, sed a vobis, a vobis dico,
Zdenko carissime! Est hominum non mediocris prudencia, que 441
modos, condiciones et vias facile dedisset absque tot periculis
successive hanc heresim destruendi.
SSWAMBERGENSIS: Micior hec via fuisset vobis, patrie 442
tamque rei publice quam private magis foret consultum. Sed non- 443
observacio pristini pacti in concilio Basiliensi et Constanciensi ha-
biti, quod nos compactatum appellamus, Georgiique iusiurandum
non servatum in variam suspicionem et diversam plerosque ducit
sentenciam, semelque malum et Deo infidelem semper malum et
infidelem presumunt.
ZDENKO: Dixisti, Sswambergensis, in quo versatur nostre 444
questionis substancia, vis et medulla.
RABENSTEINENSIS: Deus bone, nonne ultra iuratoriam et fi- 445
deiussoriam cauciones alia nobis remedia iura repererunt? pignora-
ticam promissionem, que est sub tocius cause perdicione? quibus
succedit longe adhuc firmior obsidum dacio, hoc est familiarium, a-
micorum, necessariorum, propinquorum, fratrum, filiorum; itemque
sub condicione datum condicione non impleta nullo modo accipit

vigorem. Si sub condicione stipulatus aut pactus fuisset Georgi- 446
us, in eo deficiente condicione ei pactum in nichilum redactum es-
set. Et cum multos alios modos habent iurisperiti, quorum apud 447
sedem apostolicam et in orthodoxa christianitate non mediocris
copia est, Bohemi nudi iurisperitorum sciencia potuissentne tot
peritissimos decipere viros? Certe nec verisimile nec vobis per- 448
suasum apparet, et nunc benignitate et humanitate ducti homines
pleraque fecissent, quibus nunc propter attentati atrocitatem resi-
stunt, contradicunt. Et ex tanto bello, tot ex periculis, tanta ex cla- 449
de, videtis propter hostium firmissima habitacula non nisi predam
hucusque actam.

WILHELMUS: Predam diligunt, ideo prede modos acceperunt. 451

ZDENKO: Semper sic agis, uti consuesti; si lubet, tace! 452

WILHELMUS: Dixi, tacebo. 450

ZDENKO: Hoc unum volo audire, Iohannes! Superioribus 453
verbis retulisti papam contra hereticos bellum ob indulgencias sua-
dere, sed non precipere posse. Quero, habesne in iure : si quis rex, 454
princeps, prelatus, nobilis aut quelibet potestas suo sub dominio
habet hereticos, an a superiore ad expellendum eos cogi potest?

SSWAMBERGENSIS: Et hec bona questio prius tacta est, 455
pro nostra collacione admodum utilis.

RABENSTEINENSIS: Scio hanc rem manifestam vobis non 456
esse incognitam; nam si memoriam tenacem habetis, superioribus
de his aliquantulum dixi. Interrogatus tamen, ne aut nesciens aut 457
superbus iudicer, respondere volo. Iure cautum est, ut si monitus 458
dominus loci infra annum hereticos ex suo territorio non expellit,
excommunicandus est; excommunicatus anno in excommunicacione
perseverans tanquam hereticus et fautor hereticorum condemnatur.
Sed distinguenda sunt tempora et concordande Scripture : nemo ad 459
impossibile unquam obligatur; difficile et impossibile in multis lo-
cis Scripture equipollent. Quanta difficultas, quot pericula, qualia 460
incommoda inabrupta et subita, eciam si possibile foret tot homi-
num expulsione aut morte pacem contingere, credo, si veritatem
fateri volumus nos, qui Bohemie et Moravie fines non ignoramus,
facile cognosceretur; quas ob res querenda sunt remedia et tot ma-
lorum antidota. Rigor iuris propter regni turbacionem secundum 461
canonum et legum precepta temperandus est ; aliter tirannus, aliter
rex, aliter multitudo et populus, aliter unus vel pauci eciam in eodem
scelere veniunt puniendi. Hec igitur mea sentencia conclusa sit vo- 4
bis, ob quam odium, magis odium quam ex assentacione favorem,
reportare non recuso : hac in heresis expulsione tante multitudinis
non hanc gladii et ignis viam, sed prudencie et humanitatis fu-
isse arripiendam.

ZDENKO: Iam vestrum omnium sentencia plane intellexi 463
Nullum promissum humanum apud Georgium valet, qui Deo ex-
titit iam sepe sepiusque infidelis. Vos mentis mee propositum erga 464
fidem orthodoxam eciam, iam credo, non ignoratis, quod vestre sen-
tencie preponendum arbitror; meum enim in hac re iudicium obedi-
encie sancte fidei catholice magis consentaneum et propinquum est.

RABENSTEINENSIS: Ego de me dico — aliis dabitur locus 465
mox loquendi — fidei et obediencie catholice esse tunc honorem,
ubi principium cum effectu attentatur. Alias risui et detrimento 466
obtingit res altissimas attentare, et post in ymis delitescere, quod
et poete moralissimo Oracio minime placet, cum inquit: Fortunam
Priami cantabat nobile carmen; promittunt montes, parturietur ri-
diculus mus. Meum consilium ab ymo incipit et in alta scandit; 467
tuum grandiloquum, superbum, in adiutorio imperatoris Romani,
regum et principum deabulat. Utinam tandem, veluti iam incepit, 468
ridiculo non exponatur!
SSWAMBERGENSIS: Tacitus rem considerando vestram dis- 469
putacionem summa cum animi delectacione audivi. Rabensteinensis 470
nostri sentenciam, tum, quia moderacioni et discrecioni subiecta
est, tum, quia utilitati, bono privato et publico magis applaudet,
preeligendam fore duxi; cui summopere innitendum est necnon
cogitandum, quibus cum remediis heresis istius secta destrui et
hec bellorum incommoda reici possint.
ZDENKO: Et tu sentire permitteris, quod lubet; nos fidem 471
et obedienciam omnibus mundi periculis anteponimus.
WILHELMUS: Idem nos vobiscum sentimus, dum raciona- 472
biliter non incassum fiat. Quod iam ultra queritis testimonium, viri
amici? Auditis sepius sepiusque hominis audaciam et pertina- 473
ciam repetitam; audebit, audebit, nisi unanimi voto omnes eius te-
meritati resistamus. Iam enim et sue faccionis nonnulli socii virus 474
latere videntes ab eo recedunt. Iam et vos, viri prestantissimi, eius 475
verbis sine racione auditis non solum sibi non adherendum, sed
plus resistendum esse non ignoratis. Quas ob res vestrum est dare 476
operam, ut hec nostra felix quondam patria tanta cum infelicitate
non vituperetur.
RABENSTEINENSIS: Per me dicta pro nostra mutua amicicia 477
et amore in patriam summo dicta esse volo. Mee navis tamen 478
vela nunquam aborsum dabuntur, nisi ut mandatis apostolice se-
dis, eciam mea proiciendo, — non uti Zdenkoni, sed collegio car-
dinalium et, quod maximum est, pontifici summo obtemperetur, —
eciam mea proiciendo obedire non contradicam; cuius sentenciam
iustam sive iniustam omni cum reverencia obediendo suscipere
non reicio.
SSWAMBERGENSIS: Nec ego mandatis apostolicis contra- 479
dicam, sed quatenus religioni satisfiat, usque ad sanguinem sanc-
tissimi domini nostri mandata exequar, cum tamen non mediocri
dolore in enervacione et destruccione patrie nostre.
RABENSTEINENSIS: Dolendum certe, ut tante nobilitatis the- 480
saurus pereat. Bohemie regnum inter nobilissima membra Imperii 481
sacri annumerari scimus; potentissima patria et, nisi heresis pau-
corum obsistat, christianissimus populus, in quo maxima religionis
iacta fuerunt fundamenta, quemadmodum potentissima cenobia mo-
nachorum conspiciuntur, templa cleri et, quod maximum est, illa
sacratissima edes arcis Pragensis; quot preterea maxima clericorum

collegia, quot cenobitarum loca, quot parochiarum egregii conventus, quorum partem maiorem ruptam, desolatam destructamque videmus! Et hec omnia simile huic contra heresim non fauste 482
bellum attentatum perpetravit, ut certe sepius hec in me ipso considerans in fletum et lacrimas prorumpam. Multos miseriam con- 483
dicionis humane scribentes nobiles legimus auctores, sed nulla plane miserior conspici potest patria Bohemie nostre comparata.
Si enim excidionem queris Saguntinam, multas in Bohemia simi- 484
les excidiones licet intueri; si Romanam, si Babilonicam, hec maior illis extat; ille unius urbis fuerunt, hec multarum provinciarum est. Troiam d.cennalis temporis bellum consumpsit: viginti 485
estatum tempora et amplius Bohemiam truculentissime vastarunt.
Roma semel Gallorum non ferens impetum corruit: at Pragensis 486
urbs quam plurimas Gallicanis maiores clades sustinens in hodiernum diem adhuc potens perseverat. Ierosolimitanam destruc- 487
cionem et Iosephus et Egisippus longo describunt apparatu: Bohemia illis comparata in miseria longe antecellit. Quot vicini regno, 488
tot hostes; sevit enim animis contra Bohemorum potentissimum populum ignobile vulgus. Hec autem Bohemia fortitudinem et ro- 489
bur populi pre se gestans veluti domina inter ceteras eminet gentes.

SSWAMBERGENSIS: Veras Bohemie laudes profers. Plura 490
autem eius laudabilia facinora existunt, quam aut tu — pace tua dico — eloqui aut ego audire possim. Nam nec id presertim hoc 491
in bello postponendum esse arbitror, quod ipsa nutrix et alumna omnium vicinarum existit provinciarum. Vides enim, quot pene 492
corporales et pecuniarie Theotonis, ne comeatum salis permittant, infliguntur, quibus omnibus postpositis sal in commutacionem frumenti dant, ne frumento ceteraque careant annona, cuius ob carenciam iam plerique fame compulsi suos dulcissimos penates fere relinquere compelluntur.

ZDENKO: Pauci videntur inter vicinos fame et inedia tur- 493
bari; magnum autem salis defectum in Bohemia conspicimus.

RABENSTEINENSIS: Expertus loquar. In marchie Misnensis 494
confinibus magna tocius annone existit caristia et tanta, quod clamore pauperum nimio Misnensibus ad aliquod tempus salis cum frumento commutacionem legatus concessit pontificis summi.

WILHELMUS: Sub specie boni videtis, quot mala commit- 495
tantur, et semper fide aut veritate nominata summa fiunt latrocinia.

RABENSTEINENSIS: Hoc presens bellum maiores nostri as- 496
serunt, quorum adhuc viridis extat memoria, preteritis illis atrocissimis quidem longe tamen crudelius esse et tantam igne ferroque factam desolacionem Thaboritis tirannidem exercentibus nunquam fuisse fatentur. Ideo ille, qui huic malo causam dedit, penas 497
ne apud inferos luat, bene providendum est.

ZDENKO: Illarum rerum male operanti curam committo. 498

RABENSTEINENSIS: Contra illum versatur meus sermo; mi- 499
chi nichil nisi bonum tecum convenit.

WILHELMUS: Verba pro verbis dare solemus. Patria autem 500

quondam felix, nunc miserrima, nisi provideatur, ad finem tendit
excidii. Exurgite igitur, exurgite, viri optimi, et tantam cladem pa- 501
trie nostre reiectam facite! Vobis convenit, vobis consentaneum 502
est, qui regni aborigines et incole estis, dignitasque titulorum spi-
ritualium vobis non inmerito addita est. Nam nisi vestrum aut 503
alicuius sapientissimi viri adsit auxilium, tota nostra necessario
patra corruet aut latronibus et heresi longe maiori implebitur.
SSWAMBERGENSIS: Nosne, — ut eciam pro amico meo 504
loquar Iohanne, — de pace verbum faciemus, cum Zdenkoni et
suis complicibus, veluti asserunt ipsi, victoria iam sit persuasa
adeo, ut, si quisquam pacis verba in medium profert, veluti rei-
publice christiane destructor et hereticus ab eis palam nominetur?
WILHELMUS: Quid ergo agetis? Bellum hoc nil boni ap- 505
portaturum per vos iam confirmatum est; pro pace ut laboretur, 506
vobis inconsultum apparet. In sordibus ergo sordescetis? Malum 507
videntes voluntarie aggredimini? Hoc michi cum prudencia insa-
nire — pace vestra dicam — videtur.
RABENSTEINENSIS: Non insanit Sswambergensis nec ego 508
me delirare existimo, sed verba statui nostro conveniencia loqui-
mur. Nos spirituales, nos Christiani, nos mandatis sedis apostolice 509
dediti, bona nostra pro virtute obediencie eciam scientes nos per-
dituros exponere non veremur. Et exquo voluntas nostra est in 510
manibus vicarii Iesu Christi, et proprie voluntati in baptismo iam
abnegavimus eiusque preceptum eciam nostris temporalibus no-
